This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Lc 40 127

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

Lc40.127

Harvard College Library.

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 7 November, 1895.

[redacted]

DE CICERONIS

quæ feruntur ad

BRUTUM EPISTULIS.

DISSERTATIO

inauguralis philologica

quam

AD SUMMOS IN UNIVERSITATE LITTERARIA JENENSI HONORES CAPESSENDOS

scripsit

FERDINANDUS BECHER

POMERANUS.

HARBURG. MDCCCLXXVI.

Le40.127

NOV 7 1925
LIBRARY

Constantius fund.

De Ciceronis
quae
FERUNTUR AD BRUTUM EPISTULIS.

Tandem aliquando mihi licet de epistulis Brutinis, quas per hos quinque annos summo studio singularique amore amplexus sum, meam sententiam aperire. Non quidem ignoro et difficile negotium me ingredi et grave — hoc inde iam elucet, quod tam multi et praeclari viri eisdem his epistulis operam navaverunt egregiam, ut offensionis aliquid habere possit, si ego ad illorum opiniones partim defendendas, partim refutandas surrexerim, qui neque ingenio neque auctoritate ullo modo cum tam gravibus adversariis sim comparandus —, tamen audaciae crimen non vereor, quippe qui hanc intricatam quaestionem non mea sponte susceperim, sed aliena auctoritate cui obsequi par erat, impulsus receperim. Fr. Buechelerus enim, praeceptor carissimus, me ad hoc litterarum genus incitavit quasi ad optimi proventus agrum recolendum: tunc G. Studemundus et A. Kiesslingius, viri de me optime meriti, haec mea studia summa cum facilitate foverunt cumque hi adfirmarent me nonnulla non inutiliter excogitasse, quid obstat, quominus ipse nunc in campum quasi descendam, post tot viros doctos ad has epistulas aliquid collaturus?

Priusquam autem ad propositum veniamus, pauca praemuniamus necesse est de causa ipsa: quam optimo constituemus, si a Middletone, universitatis Cantabrigiensis bibliothecario, incohaverimus. Hic enim anno 1741 librum edidit de vita Ciceronis, multa quidem industria magnaque doctrinae copia elaboratum, sed tam multis erroribus scatentem, ut Tunstallo, eiusdem universitatis oratori, gratia habenda sit, quod pedem eius quodam modo premens epistulam in lucem protulit, qua quanto opere Middleton peccasset, demonstraret. Cum autem fontes, ex quibus ille hauserat, examinaret, non poterat epistularum Brutinarum non rationem habere. Adiunxit igitur epistulae suae dissertationem „de illarum quae Ciceronis ad M. Brutum Brutique ad Ciceronem vulgo feruntur epistularum αὐθεντία“, qua dissertatione ille contra inveteratas hominum doctorum opiniones primam de his epistulis dubitationem movit.[1] Scriptus autem est liber modeste ac moderate “neque omnino inutilis, ut ait Fr. A. Wolfius[2]), ad legendum.“ Nam si eam partem praetermiseris, qua argumenta historica quae vocantur tractat, in qua quidem parte saepius ficta nobis pro factis venditat —, altera parte, quae spectat ad dicendi usum recensendum, tantum consecutus est, ut omnes qui posthac in his epistulis recognoscendis operam collocarunt, respicere eum saltem debuerint: quod utinam paullo fusius hanc rem persecutus esset! Middleton quidem suo iudicio stetit et biennio post editionem harum epistularum paravit. Sed laterem lavit: veteres enim errores repetiit, nova inventa non adiecit. Hunc iterum Tunstallus aggressus ita confodit, ut quasi humi prostratus in perpetuum taceret. Parta iam victoria Marclan-

---

[1]) Erasmi verba in ep. ad Beatum Rhenanum (III. T. 1, p. 554): „porro quas nobis reliquit nescio quis Bruti nomine, nomine Phalaridis ...... quid aliud censeri possunt quam declamatiunculae“ non ad Latinas, sed ad Graecas a Westermanno (Lips. 1856, 4) editas epistulas pertinent: quod Drumannum fugit. „Gesch. Rom's“ vol. IV., pag. 40; cf Bentlei Opusc. p. 3.

[2]) praef. ad Ciceronis quae vulgo feruntur orationes quattuor. Berol. 1801 p. VI.

dus in aciem prodiit, qui epistularum Latinitate examinanda aliquam palmae partem sibi vindicare studuit. Composita lis videbatur esse omnesque tamquam disputationum laqueis irretiti Anglorum dicto audientes erant. Tunc extitit C. Fr. Hermannus facile princeps eorum, qui adhuc pertractaverunt Brutinas epistulas, et ut de omni antiquitate, sic etiam de his magna sibi comparavit merita et admiranda. Quae enim contra Anglos posuit in commentatione sua: „Zur Rechtfertigung der Echtheit des erhaltenen Briefwechsels zwischen Cicero und Brutus"[1]) tam altis eruditionis atque doctrinae defixa sunt radicibus, ut mea sententia numquam ulla vi labefactari possint, numquam demoveri loco. Tractat autem hic argumenta quae vocant historica. Minus prospere res gesta est in Vindiciis,[2]) quibus genus dicendi, quod auctor adhibuit ad orationem illustrandam, in clientelam recipere studet. Multa enim hic Ciceronis esse contendit et interpretando tueri conatur, quae postea codicibus melius collatis comparebant non ut ab hoc auctore profecta, sed a librariis oscitantibus ei obtrusa. Omnino autem fatendum est Hermannum et in Vindiciis et in Epimetro Vindiciarum,[3]) quo de mox dicam, praeoccupata opinione abreptum falsam viam ingressum esse — et tamen necesse est, nos sine ira et studio progrediamur, ut veritatis lumen aliquando eniteat. — Hac ab Hermanno acie instructa A. W. Zumptius[4]) arma sumpsit Tunstalli castra rursus defendendi causa: sed fundamenta quae iecit quaestionis suae tantum aberat ab eo, ut Hermannum de sententia sua demoverent, ut ille qua erat copia ac doctrina hac abuteretur Epimetro Vindiciarum adulescentis laudes ut deterreret atque obscuraret. Zumpti autem disputationis summa huc pertinet, ut non solum partem sententiarum ab Hermanno contra Marclandum dictarum refellat atque redarguat,[5]) verum etiam integram epistulam omnium longissimam quintam decimam enarret et recenseat eum in finem, ut quanto

[1]) Abhdl. d. Göttg. Ges. d. Wiss. II., pag. 189 e. sq III., p. 143 e. sq. 1845; cf. etiam Göttg. gel. Anz. 1844 St. 195 e. sq.; 1845 St. 96 e. sq. p. 961—951.

[2]) „Vindiciae Latinitatis epistolarum Ciceronis ad M. Brutum et Bruti ad Ciceronem" Gottingae 1844.

[3]) „Vindiciarum Brutianarum epimetrum." Gottg. 1845.

[4]) „De M. Tulli Ciceronis ad M. Brutum et Bruti ad Cic. epistulis quae vulgo feruntur." Berol. 1845.

[5]) p. 1—18.

opere singula a Ciceronis dicendi usu recedant, intellegatur.[1])

Habes ante oculos eos dum taxat viros, qui aliquid peculiare contulerunt ad quaestionem propositam: nunc mihi liceat etiam eos commemorare, qui in transcursu has epistulas tangentes et iudicium suum significantes potius quam explicantes ipso nomine et auctoritate aliquam vim habent atque pondus. Valde autem memorabile est hos fere omnes — quod equidem sciam — in Tunstalli sententia acquievisse.[2]) Veluti Ruhnkenius — quem pro eo ac meretur primo loco nomino — ad Velleium Paterculum II, 12 heac adnotat: „Ego vero Marclando et Tunstallo facile assentior Ciceronis ad Brutum et Bruti ad Ciceronem epistulas a falsario esse confictas". Nec non Wyttenbachius in V. Ruhnkeni p. 219 — quod attinet ad epistulas — ab illius partibus stat. Item Orellius[3]) has Ciceroni abiudicandas esse censet ita quidem, ut primum librum Augusti tempore, secundum medio aevo conscriptum autumet. Neque minus Niebuhrius[4]) dubitavit eas declamatori nescio cui adsignare, quamquam quae in eis traduntur, ad historiae fidem narrata esse sibi persuasit. Et

[1]) p. 19—44; Valde doleo quod alteram Zumpti de his epistulis disputationem in Berolinensibus annalibus anno 1845 prolatam ut in usum meum converterem, nondum mihi contigit. Multum curae impendi, ipsum Zumptium litteris adii, sed operam perdidi: nam quamquam ille summa cum liberalitate voluntati meae satisfacere studebat, nihil anquirendo profecit. Quod eo magis doleo, quia ipse Zumptius alteri huic commentationi multo plus tribuere videtur quam illi de qua nos agimus. cf. etiam Hofmann „Ausgewählte Briefe von Cicero" 3te Aufl., p. 2.

[2]) Ex Franco-Gallis de Golbery (Lettres de M. T. Cicéron à Brutus et de Brutus à Cicéron. (Paris 1835) harum epistularum auctoritatem velut postliminio reducere conatus est praefatione sex paginas complectente, quae tamen praefatio unius assis, si cum Catullo loqui licet, aestimanda est. Etiam Boissier (Cicéron et ses amis p. 327, e. sq.) eas genuinas esse censet. Et Prévost a consacré, ut ait de Golbery, une longue dissertation à en soutenir l'authenticité: sed hanc numquam vidi. Golberi autem librum ex Rouheri bibliotheca in patriam ipse transtuli.

[3]) Praeter ipsum locum quo ep. ad Brut. in fine vol. I editionis suae relegavit cf. vol. IV, P. II, p. 468 et quae Baehrius „Gesch. d. röm. Litt." ed. II, p 590 ex ipsius litteris narrat eum non ante 740 u. c. scriptas adeoque fortasse ab eodem rhetore fictas censere, cui orationes, quas cum Wolfio damnat, originem debuerint.

[4]) „Vorlesungen über röm. Gesch. von Schmitz" P. V, p. 127 e. sq.

Drumannus[1]) identidem eas spurias appellat Anglorumque disputationem sua auctoritate tuetur. Porro Br. Nake: „Missum facio, inquit, per totam hanc dissertationem librum epistularum ad Brutum, quippe quas spurias esse putem.[2]) Wesenbergius autem auctorem harum epistularum Ciceronis imitatorem nominat ab eiusque aetate haud longe remotum.[3]) Mommsenus denique, cuius nomen quasi bonum omen finem huic enumerationi faciat, nam alios nil moror[4]) —, sed Mommsenus in commentatione quae inscribitur „Die echte und die falsche Acca Larentia" p. V adn. sic fere loquitur: In den unechten, aber sehr früh untergeschobenen Briefen an Brutus e. q. sq.

Praeclari igitur viri, immo praeclarissimi operam in has epistulas impenderunt aut simpliciter iudicium de eis tulerunt, ut ego denuo in eas inquisiturus sane periculosae aleae opus aggredi mihi videar, atque id eo magis, cum non totam quaestionem sed particulam tantummodo proferre mihi liceat. Est quidem tota quaestio a me recta ratione aut certe ea, quae mihi videatur recta esse — absoluta, sed quoniam suis terminis hic libellus circumscribendus est — exiguis sane —, venia mihi danda erit, si argumentis historicis quae vocantur prorsus praetermissis Latinitatem, habitum orationis idque genus alia examinare satis duxero.

Qui paullo accuratius epistularum naturam atque indolem consideraverit, is non mirabitur, quod in eis scribendis remissiore quodam genere scribendi et sermone magis cotidiano utimur: neque enim ab omnibus litteras legi cupimus neque a posteris, sed ab eis potissimum, quibus damus. Quae cum ita sint, non alienum a proposito mihi esse videtur ab ellipsis usu qualis sit proprius harum epistularum, hanc disputationis meae partem incohare, quandoquidem in sermone cotidiano non concinne, sed concise, non copiose et ornate, sed significanter atque enucleate loqui solemus. Ac primum quidem verbum

[1]) Gesch. Rom's vol. I, p. 57, 238, 263, 312, 321, 323, 331, 526; vol. II, p. 105; vol. III, p. 723; vol. IV, p. 9, 40; vol. V, p. 199.

[2]) Historia critica M. Tulli Cic. ep. p. 1.

[3]) Emendationes alterae sive annotationes criticae ad Cic. epist. editionem Lips. 1873, p. 144.

[4]) Etiam Nipperdey sextam et septimam decimam epistulam quod tantummodo in suspicionem vocat, me habet non adsentientem (cfr. Abhdl. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1865 p. 71, adn. 15): ad unam omnes aut damnandae sunt aut servandae. Hofmannus autem certam sententiam ferre non audet cf. l. l., p. 1—4.

„esse" liberius quam alias omissum esse ex his locis appareat: Ep. I 3, 1 „quales tibi saepe scripsi consules (sc. futuros esse), tales extiterunt". Ep. I 5, 4 „omnino Pansa vivo celeriora omnia (sc. fore) putabamus". Ep. I 10, 2 „Bruti deinde ita multa peccata". Ep. I 14, 1 „Breves litterae tuae (sc. erant): breves dico? immo nullae". Eiusdem ep. „Nihil enim mihi iucundius, nihil illi honestius (sc. foret)". Sed haec sufficiant de verbi „esse" ellipsi,[1]) nisi quis forte desiderat commemorationem locorum quales sunt Ep. I 15, 4 „alter inconstantior, alter impurior (sc. erat)" et eiusd. ep. 5 „nos tum nimis acres" (sc. eramus).[2])

Huic est finitima omissio eorum verborum, quae cum ipsa scriptoris oratione simul audienda sunt,[4]) ex quo numero haec sunt Ep. I 2, 5 „de me possum idem, quod Plautinus pater in Trinummo". Ep. I 3, 3 „sed haec te malo ab aliis". Ep. I 5, 2 „neque enim ab ipso ullae litterae neque nuntiabatur quicquam". Eiusd. ep. 3 „est enim in lege Julia his verbis: qui petet cuiusve ratio habebitur".[5]) Ep. I 8, 2 „sed C. Nasennium tibi ita commendo, ut neminem deligentius". Ep. I 14, 1 „tribusne versiculis his temporibus Brutus ad me?" Ep. I 15, 3 „tu hoc: alius fortasse, quod in animadversione poenaque durior, nisi fortasse utrumque tu". Eiusd. ep. 8 „sum maiorum exemplum secutus, qui hunc honorem mulieri Larentiae tribuerunt, cui vos pontifices ad aram in Velabro facere soletis".[6])

[1]) Huc non referendum esse Ep. I 3, 1 „Caesaris vero pueri mirifica indoles virtutis" Fr. Buechelerus in praeclara sua commentatione „Zur Kritik der Ciceronianischen Briefe" (Mus. Rhen XI, p. 528) docuit: nam „et" quod in codice M[1] extat recte mutavit in „est": qua copula recepta iam aequabiliter fluit oratio, ut mirum sit quod Wesenbergius hoc suo adsensu comprobare dubitavit.

[2]) Meo mihi iure tales locos silentio praeterire videor, quales sunt Ep. I 15, 2: „sed haec hactenus" vel eiusd. ep. 10 „satis multa de honoribus" —; sunt enim eiusmodi, qui apud omnes scriptores sescenties inveniantur.

[3]) Similia exempla ex genuinis Ciceronis epistulis deprompta affatim invenies apud A. Stinner in programmate: „De eo quo Cicero in epistulis usus est sermone". Part. III Oppeln 1864, p. 19; cf. etiam Kühnast „die Hauptpuncte der Livianischen Syntax" p. 276 — 277; Draeger „Ueber Syntax und Stil des Tacitus" p. 14—15.

[4]) cf. Stinner — P. III, p. 16 et 20.

[5]) de ipsis legis Juliae verbis minus plenis cf. Hermann „Vind. Lat." p. 42.

[6]) de faciendi verbo idem valente atque Graecum ῥέζειν vide Boot „Cic. ep. ad. Att." p. 25.

Eiusd. ep. 10 „Existimo equidem nihil a te nisi sapienter". Ep. I 18, 5 „sed et haec et multa alia coram cupio". Ep. II 1, 3 „ex me autem illud est,[1]) quod te velim habere cognitum". Ep. II 7, 1 „sed nihil necesse erat eadem omnis — tu lenius, immortali omnino cum tua laude — recenti illo tempore tu omnia ad pacem, ego omnia ad libertatem". Eiusd. ep. 4 „itaque ille dies silentio — de proconsule Antonio multa — post mecum, quanto tuum filium in periculo futurum duceret".

Late igitur hic ellipsis usus in epistulis de quibus agimus patet: quem magis accomodatum esse ad familiarem dicendi consuetudinem quam ad iustam orationis dignitatem is facile concedet, qui certos fines terminosque huic breviloquentiae apud scriptores solutae orationis constitutos esse recordetur.

Iam vero ad alium disputationis accedendum est locum ei, qui modo est tractatus, disparem quidem, at eum tamen, ut similem loquendi licentiam redoleat. Invenimus enim quemadmodum in Ciceronis sic etiam in his epistulis infinitivos, quibus pronomen personale quod pro subiecto stat non additum est. Hoc per se sane mirum est multosque viros doctos, inter quos honoris causa Lambinum nomino — ita movit, ut semper pronomen ordini verborum insererent. Alii ut Kühnast[2]) et Busch[3]) in codicum scriptura acquiescendum esse putant. Hoc fusius persequi non est huius loci: unum tamen addam. Quia necesse est concedamus Ciceronem in epistulis multa ad Graecorum morem novasse, semelque saepius proxime accedere ad poetarum usum loquendi, non video, cur non hic Graecismus quidam cognosci et librorum lectio defendi possit, cum praesertim fere nusquam hac pronominis omissione oratio obscura fiat atque ambigua. Sunt autem huius generis haec: Ep. I 11, 2 „statim vero rediturum ad nos confirmavit". Ep. I 16, 5 „hic ipse puer quanti aestimet posse nobis auctoribus tantum, quantum profecto poterit". Ep. I 17, 2 „sustinuisse mihi gloriatur bellum Antoni togatus Cicero noster".

Ad finem huius partis promiscue nonnulla adferam, quae eam de qua adhuc verba fecimus, loquendi brevitatem probant et illustrant. Ep. I 1, 1 „nihil enim mihi minus hominis (h. e. boni hominis) videtur quam non respondere in amore eis a quibus provocere" — quibus conferas velim Ep. II 1, 2 „nec illa modo praestiti, quae sola ab homine (h. e. a bono cive) postulanda". Porro huc referimus locum Ep. I 4, 3 „nunc, Cicero, nunc agendum est, ne frustra oppressum esse Antonium gavisi simus neu semper primi cuiusque mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur illo peius." Hanc alterius membri lectionem nunc patienter tolero[1]): olim duritiem, quae in aperto est, sic tollere studebam, ut post „excidendi" verbum „cura" inseri iuberem. Neque minus huc pertinet Ep. I 15, 3: „quod si ita est, utriusque rei meum iudicium studeo tibi esse notissimum, neque solum, ut Solonis dictum usurpem, qui e. q. s.", quae quocunque verteris aliquid duri et anacoluthi semper habere ipse Hermannus confitetur.[2])

Iam vero epistularum mentionem factam vel argumentum significatum, ut Stinneri verbis utar, cum interdum Ciceroni in pressiore sermone sic placuerit adhibere ad brevitatem tuendam, ut eximie concisa inde verborum conformatio existeret, minime mirum est, quod hic quoque auctor hoc lubenti animo arripuit. Comprobent quidem illud maxime haec: Ep. I 6, 3 „cum has ad te scriberem litteras, a Sateio reddita est epistula mihi a Tillio et Deiotaro Dolabellam caesum fugatumque esse", quocum conferas velim ad Att. XII, 11 „Iis velim meo nomine reddendas litteras cures gratum mihi eos fecisse". Ep. I XIV, 1 „ego autem cum ad me scripsisses, statim extrusi tabellarios litterasque ad Ciceronem, ut etiam si in Italiam venisset, ad te rediret". Fortasse etiam addere licet Ep. I 2, 1: „litterae mihi redditae sunt a te plenae rerum novarum maximeque mirabiles[3]) Dolabellam quinque cohortes in Chersonnesum misisse".

---

[1]) cf. Zumpti commentationis l. p. 13 adn. 1.

[2]) p. 106—108.

[3]) „Philologischer Anzeiger" 3. B., 4. H., p. 174 e. sq. cf. etiam Halm „Rhet. Lat." p. 148, 3.

[1]) Omnia recte sese habere et nulla opus esse mutatione Draegerus mihi persuasit, qui libri sui p. 68 recte statuit genetivum „excidendi" ellipsi quadam esse explicandum. Attulit autem simillimum exemplum ex Livio 5,14 „quos praetereundi verecundiam crederent fore". Qui vero in „ut" post „causa" posito offendat, is velim adeat Heraeum ad Tac. Hist. III 78, 3.

[2]) cf. Hermannum „Epim. Vind." p. 23 et Zumptium p. 28 l. l. Golbery haec verba ita vertit ed. suae p. 225: „Si cela est, je suis bien aise de vous expliquer une fois mes sentimens sur l'un et l'autre point. Non que je cherche à placer ici une pensée de Solon" e. s.

[3]) Sic hunc locum quin reddam neque Orelli neque aliorum virorum doctorum auctoritate prohibeor.

Ac ne sciens quid praetermittam, etiam duo comparationis compendiariae exempla in his epistulis inveniuntur: Ep. I 4, 4 „alia omnia sic adsunt, ut cum quolibet antiquorum comparari possint". Ep. I 12, 1: „nullo enim modo poterat causa Lepidi distingui ab Antonio".[1])

Accedunt singularia quaedam veluti haec: Ep. I 7, 2 „Bibulum noli dimittere e sinu tuo, tantum iam virum, ex quanto, crede mihi, potest evadere, qui vestris paucorum[2]) respondeat laudibus". Ep. I 15, 1 „quibus igitur litteris tam accurate scriptis[3]) adsequi possum, subtilius ut explicem.. quam tibi is exponet". Ep. I 15, 10 „intellexi ex tuis saepe litteris". Eiusd. ep. 9 „senatus sapiens, qui qua quemque re putat, modo honesta, posse adduci, hac utatur". Ep. I 16, 3 „misericordiaque unius vix etiamnunc viri". Ep. I 18, 3 „cum me pro adulescentulo ac paene puero respublica accepisset vadem".

Quod supra posuimus epistularum sermonem proxime accedere ad vulgarem loquendi consuetudinem, hoc cum ellipsis usu idque genus aliis auctor de quo agitur patefecerit, tum demonstrare studuit verbis cotidiano ex more litteris insertis.

Ac primum quidem multo minus Ciceronem fugisse usum nominum substantivorum, quorum exitus est „tor" vel „sor", in epistulis quam in ceteris libris, exempla, quae Stinnerus attulit, satis superque docent.[4]) Ex epistulis, de quibus quaestio est, huc referri licet: Ep. I 16, 6 „oppressor", quod hoc uno loco nobis servatum est. Tenendum autem est non necessitatem hanc vocem genuisse inopia coactam et angustiis, — satis erat „vindices dominationis" — sed cogitatum studium atque amorem. Ep. I 15, 6 „dissuasor".[1]) Ep. I 16, 5 „interfector".[2])

Progrediendum est ad substantiva, quae in „tio" cadunt, quo ex numero haec sunt: Ep. I 4, 3 „largitio" (h. e. largitio honorum, non pecuniarum).[3]) Ep. I 16, 11 „efflagitatio".[4]) Ep. II 3, 1 „interfectio".[5]) Ep. II 7, 1 „constitutio" (belli), quae vox hac translata significatione nullo alio loco, quod equidem sciam, invenitur.

Ipsam harum epistularum naturam intuentibus nobis mirum videri non potest, quod etiam verborum unum alterumve aut novum aut inusitatum occurrit. Ep. I 10, 4 „quatefeci" — quod nonnullis adeo novum atque inauditum visum est, ut tentarent „patefeci" vel „calefeci". Sed cum indoles Latini sermonis huic formationi non repugnet[6]) et necesse sit concedamus auctorem novationi verborum favisse, non video, cur non hic codicum lectio probanda sit.[7]) Ep. I 15, 1 „expedire" eodem sensu atque narrare.[8]) Eiusd. ep. 9 „sentire" idem valens atque censere".[9]) Ep. I 16, 2 „iuvat enim magnifice loqui".[10]) Ep. I 18, 2 „tardare" intransitive positum, quod ut fere omnibus qui de his epistulis disputaverunt [11]), sic mihi quoque ansam dubitationis dedit. Tenet codex Mediceus: „at illa rettulit quaesivitque quidnam mihi videretur arcesseremusne te atque id tibi conducere putaremus an tardare an commorari te melius esset", cumque hoc sic tolerari non possit, videbar mihi olim ita difficultatem auferre, ut delerem haec verba tamquam assuta essent ab enarratore quodam, qui arbitraretur tardare hoc loco intransitivum significatum gerere.

---

1) De hoc ablativo genetivi loco posito mirum quam halucinati sunt nonnulli interpretes. Nihil esse, quod nos offendamus, et latissime hoc dicendi compendium in utroque sermone patere in scholis magistri nos docuerunt interpretati Cic. pro Sulla c. 26 „conferte cum illis vitam Sullae". Igitur exempla cumulare vix opus erit; qui tamen ea requirit, affatim inveniet e. g. apud Kritz ad Sall. Cat. c. 51, 18.

2) cf. Zumpti Grammatica Lat. p. 363.

3) cf. Zumpti comment. l, p. 22—23; cf. etiam Hermanni Vind. Epim. p. 30.

4) Part. I. De delectu verborum p. 5 (Oppeln 1849); cf. etiam Krause: (Hohenstein 1869. 4) p. 8 e. sq.

---

1) Idem verbum legitur Cic. Or. 2, 65 dissuasor legis; Lucan. 4, 248 iusti gladius dissuasor.

2) cf. ad Fam. XII 23, 2.

3) cf. Hermanni Vind. Lat. p. 21; cf. etiam Zumpti l. l. p. 12.

4) cf. ad Fam. V 19, 2; X 24, 6.

5) cf. Asconium in arg. Milon. Interfectio Clodi; Lampr. Com. 4 Compulit ad eius interfectionem consilia inire.

6) cf. e. g. labefacere, tremefacere.

7) cf. Zumpt p. 16; Hermann: Vind. Lat. p. 44. Epim. Vind. p. 21.

8) cf. Draeger p. 98. Sallustius Iug. 5 hac significatione praeiit cf. Heraeum ad Tac. Hist. IV 12, 5.

9) cf. Ep. I 15, 11 „quid senserim quidque censuerim audisse te arbitror" et ad Fam. XI 21, 2; cf. Zumpt: p. 39.

10) apud Cic. simile exemplum non invenitur: accedit proxime ad Fam. V 21, 8 iuvitque me tibi.. profuisse.

11) cf. Zumpt p. 6; Hermann Vind. Lat. p. 12. Epim. Vind. p. 19.

Atque ut in hanc inclinarem sententiam, „an" illud illustri mihi praesidio erat. Accedebat, quod commorari sic nude positum minus aptum est, certe „diutius" addendum erat. Sed possis etiam periclitari „tardare ac morari", quod fortasse non minus habet quo commendetur quam Wesenbergi coniectura „tardari ac commorari". Ep. II 4, 1 „hoc paululum exaravi in turba matutinae salutationis". Hoc verbum non de meditata, sed de subita et extemporali — si hoc verbo uti licet — scriptione formatum esse, testimonium clarius nullum habetur quam hoc.[1])

His adnumerandum esse videtur adverbium Brutinis epistulis quodam modo reservatum Ep. II 1, 2 „infideliter".[2])

Accedunt alia, quorum usu liberior quaedam dicendi consuetudo continetur, veluti haec: Ep. I 4, 5 „instrumentum regni"[3]) (h. e. παρασκευή, sive ἀφορμή). Ep. I 7, 2 „sed Appuleius in sua epistula celebrabitur".[4]) Ep. I 10, 5 „castrorum principia" h. e. robur exercitus. Ep. I 11, 1 „Veteris Antistii talis animus est in rempublicam" quocum conferas velim Ep. II 3, 1 „Vetus Antistius me tamen pecunia sublevavit". Est haec „Veteris" nominis collocatio sane nova atque inusitata et ea, qua nos merito offendamus. Hermannus [5]) autem non debebat tantam adseverare gravitatem, cum adferret locum sua sententia simillimum ex Ep. ad Quint. fr. II 1, 3 „orationem meam conlaudavit... Vetus Antistius". Nititur enim hoc exemplum non tam codicis Medicei auctoritate, qui pro „Vetus" „severus" praebet, quam Manuti coniectura non inepte quidem — si verum fateri volumus — proposita. Eiusd. ep. 3 „dignitate perfungi" h. e. „der pflichtschuldigen Würde Ausdruck geben".[6]) Ep. I 12, 1 „Lepidus bellum acerrimme terra marique gerit"; quem nulla navi usum esse constat. Ep. I 15, 2 „quem cum a me dimittens graviter ferrem,[1]) hoc levabar uno". Eiusd. ep. 3 „nisi fortasse".[2]) Eiusd. ep. 6 „tuto esse". Eiusd. ep. 6 „sed animus idem, qui semper, infixus in patriae caritate".[3]) Ep. I 16, 2 „non existimo tam omnes deos aversos esse a salute populi Romani ut Octavius orandus sit pro salute cuiusquam civis, non dicam[4]) pro liberatoribus orbis terrarum." Eiusd. ep. 4 „quaerenda esse arma putasti, scilicet ut rogaremus alterum an ut esset sui iuris ac mancipii[5]) respublica" audax et singularis sane metaphora et ea, quam alias frustra quaesiveris. Neque minus rarae sunt elocutiones § 7 „nihil, quo expleri possit eorum meritum, tributurum" et § 8 „neque revocari in integrum potest".[6]) Eiusd. ep. 8 „ac vide quanto diligentius homines metuant quam meminerint" et § 11 „idem Cicero si iudicium suum, quod tanta firmitate et magnitudine animi[7]) direxit in exturbando Antonio[8]) flexerit adversus alios". His adde Ep. II 1, 1 „omnia si aut perfecta essent et non in diem ex die dilata", quod sine dubio adaptatum est

1) cf. Stinner: Part. I, p. 14.

2) cf. Krebs: Antibarbarus p. 422; Hermann Vind. Lat. p. 34.

3) Idem legitur Ep. I 15, 4; cf. Cic. pro Mil. c. 13 et Hermann: Göttg. gel. Anz. III, p. 214.

4) Huic celebrandi verbo alioqui ita usurpato, ut de multitudine intellegendum sit, Hermannus (Vind. Lat. p. 32) salutem petivit collatis Hor. Carm. I 12, 2 et Ov. Trist. IV 4, 18.

5) cf. Epim. Vind. p. 20—21.

6) cf. Heraeum ad Tac. Hist. II 55, 9, ubi similiter „gaudio fungi" dictum est.

1) Huius graecismi inusitati apud Ciceronem simile exemplum habes in Ep. ad. Att. IV 5, 1 „senseram, noram inductus, relictus, proiectus ab iis". In scholis autem pervulgatum est Vergilianum illud (Aen. II, 377) „sensit medios delapsus in hostes" idem valens atque Graecum ᾔσθετο ἐμπεσών; cf. Zumpti Gram. Lat. p. 508—509.

2) cf. Handi Turs. t. II, p. 722—728.

3) Hoc exemplum relinquere nequeo, priusquam de scribendi via ac ratione, quam auctor Brutinarum epistularum persecutus sit, uno saltem verbo meam sententiam aperuerim. Nimirum intimam Ciceronis epistularum notitiam habebat cumque probe nosset illum talia sibi concessisse, qualia sunt e. g. ad Quint. fr. I 1, 5 15 „quasi velis quibusdam obtenditur uniuscuiusque natura" (cf. Heraeum ad Tac. Hist. III 56, 2), eiusmodi singularitatibus insolenter abusus nova periclitabatur atque inaudita. Sed sunt certi denique fines huius dicendi generis: potest caritas infixa esse in animo, sed animus infixus in caritate quid sibi velit, ego fateor me adsequi non posse. Comparari autem non potest Cic. de N. D. I 19, 48.

4) Similis locus, ubi „non dicam" idem valet atque „nedum", extat nullus; aliter autem comparatus est in Pis. c. 10.

5) cf. Hermann. Vind. Lat. p. 26.

6) cf. Vind. Lat. p. 26—27.

7) Sine ulla dubitatione adsentior Wesenbergio (p. 639) „animi" in ordinem verborum de coniectura adsumenti.

8) vide Vind. Lat. p. 28—29.

ad Herodot. (IX 8) „ἐξ ἡμέρης ἐς ἡμέρην ἀναβαλλόμενοι,“, quandoquidem Latinum simile exemplum non extat[1]) Eiusd. ep. 3 „animum in aciem esse“.[2])

Quaeres a nobis, cur tantopere investigando hoc usu loquendi delectemur. Quia persuasum habemus hoc tandem aliquando iuvari posse totam quaestionem. An tu censes ideo potissimum has epistulas in clientelam esse recipiendas, quia tanta similitudo inter has et genuinas Ciceronis epistulas intercedere videatur? Equidem secus existimo. Nam etsi concedendum est Ciceronem in epistulis non pauca aut novasse aut ex vulgari dicendi consuetudine sumpsisse- ipse hoc palam profitetur ad Fam. IX 21, 1 „epistulas vero cotidianis verbis texere solemus“ —, tamen quid habes, quod respondeas mihi quaerenti, unde tandem fiat, ut harum epistularum paucitati tantae tam multa debeantur et novata et singulari sensu adhibita? An omnino causa subesse videtur, cur Ciceronem ad Brutum scribentem neglegentiorem accipiamus et secum adeo non constantem, ut pro numero epistularum novum ac paene dixerim inauditum dicendi genus adhibuerit?[3]) Equidem video nullam. Si autem casus potius ludibrio quam consilio escriptoris nata haec esse contenderis, te qui redarguam nescio, sed hoc scio te caligare in sole et tantum casui tribuere, quantum sibi ipsum confidere non credo. Amabo te - propone oculis totidem Ciceronis epistulas totidem proprietatibus vel singularitatibus refertas: iam me a tuis partibus stantem videbis. Neque enim equidem is sum, ut mea me maxime delectent, neque ita epistularum compositionem effingo animo, ut tamquam scopuli omnia inaudita atque insolentia verba fugienda sint. Poterat sane casu accidere, ut vel hoc vel illud novum auctori subnasceretur, sed tantum cumulum, ut ita dicam, qua ratione excusem, equidem me non habere libere atque ingenue fateor. Igitur ut brevi complectar meam sententiam: *unum atque parem quidem sermonem redolent hae epistulae cum veris Ciceronis, tamen hoc discrimen inter utrumque interest, ut hic ex propria natura et nativa quadam indole ipsarum epistularum fluxerit, ille autem captatus et adscitus sit, ut incorruptae fidei speciem arriperet credulosque lectores falleret.*

Exposui, ut potui, si cum Grammaticis antiquis loqui licet, quae maxime ad sermonem harum epistularum pertinere arbitrabar. Nunc si ea quoque requiritis, quae spectant ad habitum orationis et quasi materiam quandam, teneatis necesse est permultas sententias in his epistulis inveniri eodem modo ac paene eisdem verbis illustratas atque apud Ciceronem ipsum. Est hoc sane memorabile eoque magis prae nobis ferendum, quia viri docti hanc quaestionis partem magis ingressi[1]) quam persecuti iusto saepius id quod ante pedes erat, leviter transiluerunt. Non quidem equidem infitior Ciceronem quoque saepius eandem rem simili modo variasse et amplificasse — hoc neque mirum est et apud nostrates quoque occurrit, ubi de eadem materia agunt —, sed tamen tantum concentum, tantam similitudinem, quantam hic, alibi deprehenderis nusquam. Exempla adferam, ut ineptiarum crimen defugiam.

Epistulae nonae totum initium „Fungerer officio, quo tu functus es in meo luctu, teque per litteras consolarer, nisi scirem eis remediis, quibus meum dolorem tu levasti, te non egere: ac velim facilius, quam tunc mihi, nunc tibi tute medeare. Est enim alienum tanto viro, quantus es tu, quod alteri praeceperit, id ipsum facere non posse“ haustum videtur esse ex Servi epistula (ad Fam. IV 5, 5), ubi legimus haec: „Denique noli te oblivisci Ciceronem esse et eum, qui aliis consueris praecipere et dare consilium; neque imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere se medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt; sed potius quae aliis tute praecipere soles, ea tute tibi subice atque apud animum propone“. Nec non „serviendi“ verbum, quod invenitur in § 2 his verbis: „tibi nunc populo et scaenae, ut dicitur, serviendum est“ repetitum videtur ab illis „quoniam in eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis serviendum sit, noli committere“ Porro quae legimus Ep. I 10, 2 „huius belli fortuna, ut in secundis fluxa, ut in adversis bona“

[1]) cf. praeclaram Hermanni adnotationem (Gött. Abhdl.) II, p. 176.

[2]) cf. Hofmann Ausg. Br. p. 138.

[3]) Hermannus quidem (Epim. Vind. p. 11 adn. 13) hoc portentoso somnio usus est, ut Schilleri verba adferret ad sermonis neglegentias tuendas: „Der Meister darf die Form zerbrechen mit weiser Hand zur rechten Zeit“ sed et opportunitatem temporis et manus sapientiam vellem demonstrasset vir doctissimus.

[1]) Non pauca Zumptius adnotavit l. l. p. 10, 17, 26, 32, 33, 34, 40, 42.

manarunt ex Ep. ad Att. IV 1, 8 „ita sunt res nostrae, ut in secundis fluxa, ut in adversis bonae".[1]) Et eiusd. ep. § 4 „Incitasti vero tu me, Brute, Veliae. Quamquam enim dolebam in eam me urbem ire, quam tu fugeres, qui eam liberavisses, quod mihi quoque quondam acciderat, periculo simili, casu tristiore" contendere licet cum Cic. Phil. I 4 „Atque ego celeriter Veliam devectus, Brutum vidi: quanto meo dolore, non dico; turpe mihi ipsi videbatur, in eam urbem me audere reverti, ex qua Brutus cederet". Item eiusd. ep. § 5 verba haec „Spes libertatis nusquam nisi in vestrorum castrorum principiis est. Firmos omnino et duces habemus ab occidente et exercitus" sumpta sunt ex veri Ciceronis Ep. ad Fam. XII 9, 2 „itaque tibi persuade maximam reipublicae spem in te et in tuis copiis esse. Firmos omnino exercitus habemus". Atque ut ad alia pergamus deinceps persequenda: eis quae leguntur Ep. I 14, 2 „sed non ignoras, quam sint incerti et animi hominum infecti partibus et exitus proeliorum" idem sensus subiectus est atque his (Ep. ad Fam. II 7, 2) „quanta vis in republica temporum sit, quanta varietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates — non dubito, quin cogites".[2]) Et quae habes in Ep. I 15, 5 „Itaque in medio Achaico cursu, cum etesiarum diebus Auster me in Italiam quasi dissuasor mei consilii rettulisset, te vidi" fluxerunt ex Ep. ad Fam. XII 25, 3 „in Graeciam rapiebar, cum me etesiae quasi boni cives relinquentem rempublicam prosequi noluerunt, austerque adversus maximo flatu me Regium rettulit". Neque minus eiusd. ep. § 7 verba haec: „decrevi etiam imperium, quod quamquam videbatur illi aetati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium; quid enim est sine imperio exercitus?" accommodata sunt ad Cic. Phil. V 16 „Decrevimus igitur imperium Caesari — qui honos quamquam est magnus illi aetati, tamen ad necessitatem rerum gerendarum, non solum ad dignitatem valet" (cf. Phil. XI 8, 20). Nec non hic perhibendus est locus, quem legimus eiusd. ep. 8 „Ego enim D. Bruto liberato cum laetissimus ille civitati dies illuxisset idemque casu Bruti natalis esset, decrevi, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen adscriberetur",[1]) qui expressus est ad Ep. ad Fam. XI 14 "die tuo natali victoria nuntiata in multa saecula videbamus rempublicam liberatam". Denique quae leguntur eiusd. ep. § 12 „sive enim vicerimus — qui quidem pulcherrime viceramus, nisi Lepidus perdere omnia et perire ipse cum suis concupivisset — tua auctoritate opus est" referenda sunt ad Ep. ad Fam. XII. 10, 3 „praeclare viceramus, nisi spoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepisset Antonium".

Sed non dilatabo de primo libro orationem meam: etenim possem multa alia[2]) in medium proferre, nisi meminissem Terentianum illud „denique

[1]) cf. etiam ad Att. IV 2, 1 „prioribus tibi declaravi omnes res nostrae quemadmodum essent, ut in secundis fluxae, ut in adversis bonae" cf. praeterea Fr. Buecheler „Zur Kritik der Cic. Briefe." Mus. Rh. XI, p. 512 qui haec verba „ità sunt res nostrae, ut in secundis fluxae, ut in adversis bonae" ut iambicum octonarium poetae tribuit. Possis igitur coniectari auctorem de quo agimus ex ipsa veteris illius poetae lectione huius versus notitiam sibi comparavisse: sed utut haec res sese habet, mirum est quod Brutinis potissimum epistulis haec quoque sententia quasi reservata est.

[2]) cf. etiam ad Fam. VI 1, 2 et XII 10, 3.

[1]) Hic locus et Tunstallo et Drumanno (vol. IV, p. 9, 51; cf. vol. I, p. 321, 92. 93:) tanti esse videbatur, a quo harum epistularum fidem metirentur. Putant enim falsarium locum ex ep. ad Fam. supra adlatum cum male intellexisset confudisse diem, quo fama victoriae Mutinensis Romam pervenerit, cum ipso victoriae die. Argute et captiose hoc crimen excogitatum et contextum est: tamen habeo quod respondeam. Brutinarum epistularum locus si per se staret unus atque solus, sane ambigi posset propter verborum obscuritatem minime tacendam, quem diem auctor intellexisset: nunc autem cum epistula illa nobis ante oculos versetur — quae cur huic lucem non adferat, ego non adsequor — eundem diem significatum esse nostro iure concludemus. Fulcitur etiam haec sententia praecedente ablativo absoluto „D. Bruto liberato", qui alteri illi interpretationi non minimam partem repugnat. De sequentibus autem verbis Drumannus addit Ciceronem si re vera decrevisset, „ut ad eum diem in fastis Bruti nomen adscriberetur", certe hoc cum Bruto communicaturum fuisse. Quod certa de causa equidem secus existimo. Mihi consulto hoc Cicero reticuisse videtur, ut ne Brutus animum contraheret atque demitteret ob praemium a senatu recusatum: sic enim verba quae infra leguntur exeunte § 8 „atqui illo die haud paullo plures in senatu malevolos, esse quam gratos cognovi" ipse Drumannus explicat, ut mirandum sit, quod ultro tantam sibi difficultatem exstruxerit.

[2]) veluti Ep. I 8, 2 et ep. ad Fam. XIII 13, 1; cf. tamen Ep. I 18, 3 „maximo autem, cum haec scribebam, afficiebar dolore, quod cum me pro adulescentulo ac paene puero respublica accepisset vadem, vix videbar, quod promiseram, praestare posse e. sq." cum Phil. V. 18:

nullum'st iam dictum, quod non dictum sit prius", cui aliquid certe dandum est. Igitur ad alterum librum accedendum erit. Quae leguntur Ep. II, 1 „Lepidi, tui necessarii, levitatem et inconstantiam animumque semper inimicum reipublicae iam credo esse tibi perspectum" redolent Ciceronis verba haec (ad Fam. XII 8, 1) „Scelus affinis tui Lepidi summamque levitatem et inconstantiam cognosse te arbitror". Et. Ep. VII, 1 „scis mihi semper placuisse, non rege solum, sed regno liberari rempublicam" conferri potest cum XII 1, 1 ad Fam. „Nam ut adhuc quidem actum est non regno, sed rege liberati videmur". Quae autem eiusd. epist. statim secuntur „tu lenius, immortali omnino cum tua laude, sed quid melius fuerit, magno dolore sensimus, magno periculo sentimus" proxime accedunt ad Ep. ad Att. XV 1, 5 „Quid enim illi adferre consilii possum, cum ille suae immortalitati melius quam nostro otio consuluerit?"[1]) — Haec, quae modo congessi, fraudis indicia nobis damnandi has epistulas potestatem quasi quasdam habenas tradunt: sunt enim tam manifesta, quae etiam tardioris aliquis ingenii facili negotio cogniturus sit. Verum haec quidem hac tenus.

Arte quadam in ostentationem compositum esse sermonem harum epistularum cum iam eis, quae supra disputavimus, detectum sit, tum maxime colligi poterit ex locis communibus qui vocantur his epistulis insertis. Est enim proprium Brutinarum epistularum, ut sententiolae graves ad exornandam et limandam orationem in eis captentur varioque modo illustrentur atque amplificentur.[2]) Et tamen tunc temporis, quo hae spectant, quid minus cives Romanos decebat quam sententias philosophorum more ponere et explanare? quid minus quam verborum vel optimorum et ornatissimorum sonitus inanes nullo fere sensu subiecto? In agendo posita erat virtus viri vere Romani. In agendo sita erat salus reipublicae. Quapropter tuo iure graveris tam multos τόπους — si Graeco verbo uti licet — interdum ita comparatos, ut ex eis totius epistulae argumentum pendeat.

Exempla hoc illustrent quae si adferam omnia, venia mihi danda erit. Nam quamquam vereor, ne copia eorum vos nimium demorer, tamen hoc rei dare necesse habui.

Ep. I, 1 „Nihil enim mihi minus hominis videtur, quam non respondere in amore eis, a quibus provocere". Eiusd. ep. „Est enim periculosum (adfirmare de altero) propter occultas hominum voluntates multiplicesque naturas". Ep. II, 5 scribis „acrius prohibenda bella civilia esse quam in superatos iracundiam exercendam". Eiusd. ep. 5 — „salutaris rigor vincit inanem speciem clementiae". Ep. III, 2 fructum cepi maximum, „si modo est aliquis fructus ex solida veraque gloria". Eiusd. § 2 „popularem esse in populi salute praeclarum est".[1]) Ep. IV, 2 „At hoc ipsum inique facis, qui hostilis animi in rempublicam homines cives appelles". Eiusd. § 2 „multo equidem honestius iudico magisque quod concedere possit respublica miserorum fortunam non insectari quam infinite tribuere potentibus, quae cupiditatem et arrogantiam incendere possint". Ep. IX, 2 „est dolendum in tam gravi vulnere, ne id ipsum carere omni sensu doloris sit miserius quam dolere, sed ut modice ceteris utile est, ita tibi necesse est". Ep. XII, 2 „Nec vero me fugit, quam sit acerbum parentum scelera filiorum poenis lui, sed hoc praeclare legibus comparatum est, ut caritas liberorum amiciores parentes reipublicae redderet". Ep. XIII, 2 „sed non ignoras, quam sint incerti et animi hominum infecti partibus et exitus proeliorum".

„Audebo etiam obligare fidem meam, patres conscripti, vobis populoque Romano; quod profecto cum me nulla vis cogeret, facere non auderem pertimescerem que in re maxima periculosam opinionem temeritatis: promitto, recipio, spondeo, patres conscripti, C. Caesarem talem semper fore civem, qualis hodie sit qualemque eum maxime esse, velle et optare debemus".

[1]) Ac ne prorsus primam huius libri epistulam neglegam: quae extant § 1 „Cum haec scribebam, res existimabatur in extremum adducta discrimen: tristes enim de Bruto nostro litterae nuntiique adferebantur" similiter expressa sunt atque ad Fam. XII 6, 2 „Res cum haec scribebam, in extremum adducta discrimen; Brutus enim Mutinae vix iam sustinebat".

[2]) cf. Zumpti l. l. p. 8, 2.

[1]) Plane immerito „me" pronomen quod iam Schuetzius Grutero auctore sustulit, in novas editiones rursus invectum esse quivis semel monitus intelleget. De Cicerone ipso non debebat auctor in extrema huius enuntiati parte denuo verba facere, sed quod illi, ut antea dixit, gaudium attulit maximum, id iam ad omnes referendum erat, cum praesertim tales sententiae in his epistulis amore et studio quaerantur. Ceterum frequenter in codice Mediceo duas vel litteras vel syllabas duplicatas esse Buechelerus in Mus. Rhen. p. 534 et sq. docuit et luculentis aliquot exemplis demonstravit. — Wesenbergi autem emendatio ut „quod ... praeclarum esset" scribendum sit, mihi minus probatur ob dubitationem quandam coniunctivo indicatam.

Ep. XV, 10 „sed sceleris poenam praetermittere — id enim est, quod vocatur ignoscere — etiamsi in ceteris rebus tolerabile est, in hoc bello perniciosum puto". Ep. XVI, 9 „quid enim est melius quam memoria recte factorum et libertate contentum neglegere humana"? Eiusd. ep. 10 „fateor duriorem esse condicionem spectatae virtutis quam incognitae: bene facta pro debitis exigimus, quae aliter eveniunt, ut decepti ab iis infesto animo reprehendimus". Eiusd. ep. 11 „nihil enim per se amplum est, nisi in quo iudicii ratio extat"[1]). Ep. XVII, 4 „o magnam stultitiam timoris id ipsum quod verearis ita cavere, ut cum vitare fortasse potueris ultro arcessas et attrahas". Eiusd. ep. 5 „quid enim tam alienum ab humanis sensibus est quam eum patris habere loco, qui ne liberi quidem hominis numero sit"? Ep. XVIII, 3 „est autem gravior et difficilior animi et sententiae, maximis praesertim in rebus, pro altero quam pecuniae obligatio: haec enim solvi potest et est rei familiaris iactura tolerabilis; reipublicae quod spoponderis quemadmodum solvas, si is dependi facile patitur, pro quo spoponderis"?

Alterius autem libri huc pertinent haec loca: Ep. I, 1 „non enim ignoras, quanta momenta sint in republica temporum et quid intersit, idem illud utrum ante an post decernatur, suscipiatur, agatur". Eiusd. ep. 2 „nec illa modo (praestiti) quae nimirum sola ab homine sunt postulanda, fidem, vigilantiam, patriae caritatem: ea sunt enim, quae nemo est, qui non praestare debeat: ego autem ei qui sententiam dicat in principibus de republica, puto etiam prudentiam esse praestandam". Ep. VII, 5 „video te lenitate delectari et eum putare fructum esse maximum, praeclare quidem, sed aliis rebus aliis temporibus, locus esse solet debetque clementiae".

Sed nihil necesse est plura: talia enim cum legimus non vocem Ciceronis, sed umbratilis cuiusdam doctoris cantilenam exaudire nobis videmur omninoque hae sententiae modice adhibitae ut dignitatis atque gravitatis aliquid adferunt orationi, sic eius vim imminuunt iusto saepius adscitae.

Nunc vero a singulis ut ad maiora veniamus: nona epistula multas offendendi ansas praebet et eas quae me iudice removeris non possint, nisi omnes Brutinas epistulas ementitas accipimus. Nihil hoc loco dico de ipso Porciae nomine, quod quamquam in epistula non superest — quod ipsum declamatoriam artem sane redolet —, tamen ex verbis extricandum esse iam dudum inter omnes doctiores interpretes convenit. Ad hoc pergo: cogitate Ciceronem amico suo scribentem eumque hortantem, ut dolorem deponat perceptum ob uxoris obitum. Quanta cum gravitate et auctoritate vos censetis hoc officium praestaturum fuisse Ciceronem? Quanta copia verborum et elegantia? Quid? nonne demonstrasset artius se cum amico coniunctum esse aegritudinis societate quasi novo quodam amicitiae vinculo? Potuitne praeterire — praesertim ad Brutum — philosophorum praecepta, quae sibi ipsi in suo casu non mediocre attulissent solacium? Frustra tale quid in hac epistula quaesiveris: immo tam inanis est tam incondita atque ieiuna, ut vix ac ne vix quidem de falsario dubitare possis.

Verum enimvero hoc neque solum fraudis exemplum neque illustrissimum est: maius aperiam Ep. XV, quae adumbrata est ad Solonis dictum hoc: „respublica duabus rebus continetur, praemio et poena" (3). Postquam enim auctor ineunte epistula Messallae eloquentiae miram et singularem laudem impertivit hanc:[1])

[1]) Pro „extat" ut „constat" scribamus, suadent Zumpt p. 9 et Wesenberg.

[1]) Fuerunt qui huic Messallae laudi tantum tribuerent, ut ex hac aliquid efflorescere putarent et ad malam fidem harum epistularum demonstrandam et ad auctoris personam expiscandam. Veluti Orellius (Onom. Tull. T. I, p. 100) haec autumat „ceterum subditicias illas epistulas conscriptas esse ab adulatore aliquo Messallae Corvini, qualis fuit ille, qui composuit Panegyricum Tibullo vulgo attributum, manifestum fit ex Epist. XV: „Messallam habes"; nam sine causa profecto veterator ille numquam tot tantisque laudibus cumulasset Messallam, nisi gratum illi fore sperasset ita a Cicerone scilicet se dilaudatum esse". Alii censent laudem Messallae omnino hic locum habere non posse, quia ille non ad id, quod Cicero fovebat, genus dicendi, sed ad Atticum sese accommodaverit una cum Bruto. (cf. ad Att. XIV 20, 3 et ad Att. XV 1b, 2) Fateor me olim in eandem aut certe similem sententiam abiisse, cum praesertim non haberem, qua ratione Messallae laudes huc praeter opinionem translatas explicarem et excusarem. Nunc vero scrupulus mihi inicitur, qui quamquam multum cogitavi nondum ex animo evulsus est. Pro certo enim affirmari nequit, quod genus dicendi ex eis quae tunc temporis florebant et dominabantur, Messalla in usum suum converterit, Asianum, cuius principes Hortensius et Varro erant, an Atticum, cui praeerat M. Brutus, an Rhodium, in quo Cicero mirabiliter excellebat. (cf. Jahrb. für Philol. 1871, 4). Auctor dial. de or. 18 Cicerone, inquit, „mitior Corvinus et dulcior et in verbis

„Messallam habes. Quibus igitur litteris tam accurate scriptis adsequi possum, subtilius ut explicem, quae gerantur quaeque sint in republica, quam tibi is exponet, qui et optime omnia novit et elegantissime expedire et deferre ad te potest? cave enim existimes, Brute .... cave putes probitate, constantia, cura, studio reipublicae quicquam illi esse simile, ut *eloquentia*, *qua mirabiliter excellit*, vix in eo locum ad laudandum habere videatur. Quamquam in hac ipsa sapientiae plus apparet; ita gravi iudicio multaque arte se exercuit in *verissimo genere dicendi*" subito orationis flexu fertur ad enumeranda praemia ea, quibus Cicero Caesarem, Hirtium alios oneraverit (3—10). Tunc pergit exponere, idem Cicero qua ratione animadverterit in Antonium, Lepidum aliosque (10—12). In extrema parte (12—13) ipse profitetur „haec omnia non ita necessaria esse, sed illud valde necessarium Brutum in Italiam cum exercitu venire quam primum". Hoc ipsum autem breviter et quasi in transcursu tractat. Libenter talia declamatori condonamus, sed Ciceroni prorsus abiudicanda esse putamus. Neque minus Ep. XVI declamatoris artem resipit, quippe quae tota pendeat ex sententia in ultima paragrapho posita „Quare non Octavius est rogandus, ut velit nos salvos esse". Hoc vario modo illuminat auctor ita, ut huc semper redeat oratio.

Sed iam dudum vereor, ne eis qui omnia integra servare et in sententiis a maioribus acceptis perseverare consuerint, ego praeoccupata opinione ductus tamquam lineas transiluisse videar. Est sane difficile in eiusmodi quaestionibus modum verborum tenere et in vituperatione aequitati recte consulere. Quare ad alia nunc pergamus et ea quae non tam lubrico quod vocant, quam firmiore quodam fundamento nitantur.

Permultas Ciceronis epistulas iniquitate temporum interiisse inter omnes constat. Invenimus citatum librum tertium ad Caesarem datum (Nonius p. 286, 12), novimus nonum librum ad Hirtium (Non. p. 450, 3), audimus de libro quarto ad Pompeium (Non. p. 293, 19), legimus etiam de libro nono ad Brutum (Non. p. 421, 29).[1] Itaque quaestio hic impendet, Brutinae epistulae de quibus agimus utrum his adscribendae sint annon. Sed priusquam hoc discernamus, paullo altius descendendum erit in horum maiorum, ut ita dicam, epistularum voluminum condicionem et historiam.

Multum disputatum est a viris doctis, utrum epistulae ad Fam. quae vocantur conglutinatae sint ante haec magna volumina an postea in eam, quam nunc prae se ferunt, formam redactae sint. Veluti C. Fr. Hermannus[2]) haec censet: „Ueberhaupt ist es eine sehr sonderbare Hypothese, dass die Bücher ad Fam. aus den Trümmern verloren gegangener grösserer Sammlungen entstanden seien, wie es sehr befremden müsste, nicht eben so gut wie Briefe an Brutus und Caesar auch solche an Calvus, Nepos, Hirtius, Pansa u. a. darunter zu finden, für welche gleichfalls besondere Sammlungen existirt hatten: viel einfacher die Vorstellung, dass neben diesen und unabhängig von ihnen für andere spezielle Kategorien, seien es persönliche oder sachliche, kleinere Sammlungen zusammengehöriger Briefe angelegt wurden, die man dann später unter dem Titel vermischter oder vertrauter Briefe vereinigte, ohne darum die gleichzeitige Existenz grösserer Sammlungen an bestimmte Einzelne auszuschliessen". Hofmannus[3]) autem eas non ita multo post Ciceronis obitum exortas esse censet easque in lucem editas a Tirone. Studet au-

magis elaboratus" cf. etiam finem huius c. 18. Et Seneca contr. II 12, 8 (p. 198 Kiessl.): „fuit autem Messalla exactissimi ingenii sermonis observator diligentissimus". cf. Quintil. I 7, 35 et X 1, 113 („At Messalla nitidus et candidus et quodam modo praeferens in dicendo nobilitatem suam, viribus minor".) Ex his tamen certi nihil prolici potest. Itaque „verissimum genus dicendi" quod auctor laudat, fuisse Atticum suo quisque arbitratu aut credat aut neget: neque enim temere iudicare solemus de eis rebus, quibus certa fides adstrui non possit.

[1]) Quoniam Brutinarum epistularum quas adhuc habemus primus liber ab eisdem verbis initium capit quae Nonius adfert tamquam deprompta sint ex nono libro epistularum ad Brutum datarum, multi sibi persuaserunt primum quem nunc dicimus librum antea nonum illum, secundum autem octavum fuisse. Quod a me plane secus existimatur. Primum enim qui vel mediocriter in codicibus legendis versatus est, non ignorabit, quanta sit paucitas eorum locorum, ubi numeri recte vereque sint traditi. Adde quod „cum Nonio qui comparari posset levitate et stupiditate neque antiquitas neque nostra aetas ullum grammaticum tulit" (Buecheler Rh. Mus. XIII, p. 596): iam concedes huic numero nihil omnino momenti esse dandum. — Ceterum una tabula epistulas quaecumque aliquando divulgata sunt comprehendit Nake l. s. l. p. 10—11.

[2]) Gött. gel. Anz. 1844, St. 196.

[3]) „Ausgew. Briefe Cic." Einleitung p. 6—11.

tem sententiam suam sustinere duobus locis ex ipsis epistulis depromptis: ad Fam. XVI 17, 1 „tuas quoque epistulas vis referri in volumina" et ad Att. XVI, 5 „mearum epistularum nulla est συναγωγή. sed habet Tiro instar LXX et quidem sunt a te quaedam sumendae: eas quoque oportet perspiciam, corrigam; tum denique edentur". Quamquam — si recte hos locos interpretabimur, nihil aliud extricabimus nisi Tironem in animo habuisse epistularum editionem parare: hoc re vera eum fecisse non ita facile praestiterimus. Contra rem horum duorum venit Nake: is enim contendit epistulas ad Fam. ex reliquiis maiorum illorum voluminum fluxisse, quam sententiam equidem certis de causis amplector. Primum enim si Hermannum et Hofmannum sequaris, difficile est ad explicandum, immo explicari nequit, quomodo epistulae ad Fam. tanta cum neglegentia et levitate foras dari potuerint sine respectu temporis, argumenti, personarum denique. Suo iure in hoc Hermannus offendit: qua ratione autem ipsius sententiam si probaverimus haec offensio removeri possit, neque ipse docuit neque doceri posse censeo. Me iudice nullo alio modo ex his scopulis, ut ita dicam, enavigabimus nisi ut neglegentiam ab omnibus concessam quasi cuidam excerpendi naturae attribuamus. Sed hoc fortasse levius: en gravius argumentum. Unde fit, ut epistulas ad Fam. Gelli demum aetas norit, maiora autem illa volumina iam a Quintiliano aliisque primi saeculi viris doctis commemorentur? Hoc certe non ita esset, nisi haec ante illas collecta essent. Accedit, quod Gelli temporibus studium excerpendi et delibandi maximo opere florebat.[1]) Porro inter epistulas ad Fam. nulla invenitur ad Atticum data, nulla ad Quintum fratrem, ut dubitandum non sit, quin hae in unum corpus coartatae sint ita ut illorum ratio sit habita.[2]) Denique per sane mirum foret, id quod ex Buecheleri scholis academicis addi liceat, si maiora epistularum volumina temporum iniuria devorasset, hae autem ante illa ortae ad nostrum tempus mansissent.[3])

[1]) cf. M. Hertz „Renaissance und Rococo in der röm. Litteratur" p. 34—38.

[2]) Hoc magis confirmatur quam refutatur Ep. ad Fam. VIII, 16 et IX, 14 collatis cum ad Att. X, 9 et XIV, 17.

[3]) Ubi tam acriter in utramque partem pugnatum est, etiam argumenta ex vera ratione vere repetita proferri et possunt et debent.

Breviter[1]) hanc quaestionem extrinsecus positam persecutus sum, quia ex hac aliquid redundare mihi videtur ad litem de qua agimus diiudicandam. Quodsi epistulae ad Fam. ex reliquiis maiorum voluminum manarunt — ut mihi quidem persuasissimum est —, intellegi nequit, qua ratione quinque litterae (ad Fam. XIII, 10—14) in has migraverint et suam regionem quasi reliquerint, cum epistulae ad M. Brutum datae peculiari volumine coniunctae per se starent, si quidem genuinum hoc et non ementitum praeoccupamus. Quod autem Hermannus[2]) autumat consulto deque industria illas seiunctas esse ab hoc corpore ut inanes et ieiunas epistulas commendaticias, meo iure quaerere velim, cur ex Brutinis epistulis Ep. 7 et 8 non aeque atque illae eis insertae sint, quibus leviores et minutiores cogitari possunt nullae. Quid plura? Expediendus enim est nodus — cum aliud remedium praesto non sit — ita, ut statuamus Brutinas epistulas, quae nobis supersunt, a falsario esse confictas.

Iam vero quominus totam hanc quaestionem concludamus, unum obstat, quod non silentio praetervehendum mihi esse videtur, cum praesertim nemodum in hanc rem inquisiverit, dico allocutiones, quales sunt „Brute" vel „mi Brute". Nimirum hae in numero blandimentorum sunt referendae eoque crebriores sunt, quo coniunctiores nos cum eo sumus, ad quem litteras damus, et adiunguntur etiam, ut singularis amor indicetur, „suavissime" vel „carissime" idque genus alia adiectiva. cf. e. g. ad Q. fr. II 5, 4 „mi carissime et suavissime frater", ad Fam. XI 21, 3 „mi optime mihique carissime Brute". Omnino autem tenendum est Romanos, qua erant natura atque indole, modice atque moderate eis usos esse, cum nos saepius iustum modum in hac re excedamus.

Sed ut intellegatur, quam vim habeant hae allocutiones ad propositam quaestionem recte solvendam, omnes, quae in epistulis inveniuntur, comparare et sub adspectum subicere necesse habui. Legatis igitur et vestro iudicio stetis.

[1]) Fusius et ita ut confecerit hanc rem Nake in l. l. pertractavit, qui etiam Hofmannum secus existimantem refutasse mihi videtur (p. 41—42 s. Addenda).

[2]) „Abhdl. der Göttg. Ges. d. Wiss." II, p. 188.

Ad Fam. librorum	I	Ep.	X	continent	allocutiones	2
„ „ „	II	„	XIX	„	„	5
„ „ „	III	„	XIII	„	„	—
„ „ „	IV	„	XV	„	„	3
„ „ „	V	„	XXI	„	„	3
„ „ „	VI	„	XXII	„	„	3
„ „ „	VII	„	XXXIII	„	„	12
„ „ „	VIII	„	XVII	„	„	3
„ „ „	IX	„	XXVI	„	„	13
„ „ „	X	„	XXXV	„	„	19
„ „ „	XI	„	XXIX	„	„	14
„ „ „	XII	„	XXX	„	„	9
„ „ „	XIII	„	LXXIX	„	„	3
„ „ „	XIV	„	XXIV	„	„	14
„ „ „	XV	„	XXI	„	„	2
„ „ „	XVI	„	XXVII	„	„	17
Ad Q. fratrem	I	„	III	„	„	3 sive 5
„ „ „	II	„	XV	„	„	11
„ „ „	III	„	IX	„	„	8
Ad Att. librorum	XVI	„	CCCIIIC	„	„	22
Ad Brut. lib.	I	„	XVIII	„	„	23
„ „ „	II	„	VII	„	„	7

Res ipsa pro se loquitur neque omnino multa verba patitur aut desiderat. Qui enim mecum sentit harum allocutionum numerum pro amicitiae necessitudine aut augeri aut imminui — prave autem sentire videtur, qui dissentiat — is suo iure mirabitur, cur tam multae allocutiones his Brutinis epistulis immixtae sint, ita ut omnibus ceteris hac re anteeant. Nam etsi non infitiamur Ciceronem M. Bruto operam dedisse maiorem quam multis aliis,[1] tamen quis est, qui in his rebus paullo accuratius versatus hoc non sentiat quidvis futurum fuisse, quam ut Cicero Brutum Attico suo praeferret?[2] „Eum amabat sic ut alterum fratrem: nihil erat illo ei nec carius nec iucundius“. Et tamen per totum volumen epistularum ad Atticum datarum viginti duae allocutiones tantum dispersae sunt, in his numero tantum distantibus, quantum caelum a terra, habemus triginta. Et Tironem etiam ita amplectebatur, ut Brutus eum non aequipararet. Adde quod minime repentinus amor et necopinatum studium singularem hunc numerum genuit — ipsae epistulae hoc multis locis dissuadent: iam intelleges nulla alia de causa confictas esse Brutinas epistulas quam ut deciperent lectores et incorruptae fidei ac sincerae auctoritatis speciem prae se ferrent.

Reliquom est, ut uno verbo meam de his epistulis sententiam comprehendam: *ementitae mihi videntur esse Brutinae epistulae, quamquam, quae in eis narrantur, ad historiae fidem scripta esse persuasum habeo.* Hoc idem iam Niebuhrius sensit, qui unum rectissimum et circumspectatissimum de his epistulis iudicium tulit. Dicit enim l. p. 6 laudato: „Die Briefe an Brutus sind ohne Frage in einer sehr frühen Zeit geschrieben und reichen wahrscheinlich bis in die ersten Jahrhunderte unserer Zeitrechnung, und ich bin am meisten geneigt, sie als ein Erzeugniss des ersten Jahrhunderts zu betrachten, vielleicht aus der Zeit von August oder Tiber. Ihr Verfasser war augenscheinlich ein Mann von Talent und vollständig vertraut mit den Umständen der Zeit. Die Frage über ihre Echtheit war vor etwa 100 Jahren von englischen Kritikern angeregt, und ich weiss, dass Fr. A. Wolf entschieden der Meinung war, dass sie eine Fälschung seien, aber ich kann mich selbst nicht mit der nämlichen Gewissheit ausdrücken. Ich sollte wünschen, sie als falsch nachgewiesen zu sehen, wie ich moralisch überzeugt bin, dass sie es sind. Diese Briefe zeigen eine Art von Mangel an Harmonie zwischen Cicero und Brutus, und wenn ein Mann von Talent die Naturen dieser beiden Männer vergleicht, so muss dieser Mangel von Harmonie sich von selbst als das Resultat dieser Vergleichung ergeben. Doch in welcher Art sie auch zusammengesetzt sein mögen, ihr Verfasser lebte so nahe an der Zeit, auf welche die Briefe sich beziehen, und ihr Inhalt ist auf so authentische Urkunden gegründet, dass sie als zuverlässige Geschichtsquellen angesehen werden können“.

Postquam absolvi, quae maxime ad propositum pertinere putabam, et ita absolvi, ut — si nihil aliud — certe illud me consoletur „in magnis et voluisse sat est“, temperare mihi nequeo, quin de nonnullis Brutinarum epistularum locis meum ipsius qualecunque iudicium adiciam: non quo arbitratus sim haec omnia me recte et vere emendare posse, sed quia operae pretium facturus mihi visus sum, si ea indagarem, quae maxime in suspicionem vocari oporteret. Videntur enim mihi plurimi interpretes nondum satis ad universam enuntiatorum compagem sensumque recte capiendum animos attendisse et in singulis

[1]) cf. ad Fam. IX 14, 5.

[2]) cf. Drumannum: vol. V, p. 71, vol. VI, p. 422.

saepius, quam par erat, Bentleianum illud neglexisse: „Noli librarios solos venerari, sed per te sapere aude“. Dicunt genuinas non esse has epistulas; concedo; sed addo, tamen ita compositas, ut summa intercedat similitudo inter eas et veri Ciceronis. Quare eandem viam, quam viri docti in illis ingressi sunt non sine magno emendationis fructu, etiam in his persequendam esse censeo, et ut ipse persequar, studebo. Propono autem unum Wesenbergium magna sibi comparavisse merita et de veri Ciceronis epistulis et de personati huius valdeque gaudeo, quod de duobus locis eandem sententiam in medium protulit, quam ego iam ante quattuor abhinc annos evicisse mihi videbar: dico Ep. I 15, 6 „Longa sunt *et* praetereunda“ et Ep. I 17, 2 „ut iam ista quae facit *dominationem an dominum* timentis sint“.

Sed iam, si placet, ad institutum redeamus.

Ep. I 2, 3 „*Quod scribis de seditione, quae facta est in legione quarta, de Catoniis — in bonam partem accipies — magis mihi probatur militum severitas quam tua*“.

De legione quarta hoc loco commemorata non est quod hic fusius dicam. In sequentibus autem quod Baiterus „*de Catoniis*“ in ordinem verborum recepit me habet non adsentientem. Nam qui illi Catonii sint vel quos ipse intellegat, non ita facile docuerit. Ac ne illud quidem, quod omnes ceteri editores praebent „*de Antoniis*“ vel simile quid mea sententia comprobatur. Nimirum maluerunt viri docti coniecturas suas periclitari, quam remedio et simplicissimo et verissimo uti. Ut ne longus sim: „de Catoniis“ removendum est ut molestum interpolatoris cuiusdam additamentum. Nam ut nihil novi orationi infert, quod non aut Bruto aut omnibus satis superque notum sit, sic ipsae codicum discrepantiae interpolatoris vestigia patefaciunt. Accedit, quod „de“ praepositio aliqua cum duritie dupliciter posita vix ferri potest.

Res ipsa postulat, ut de extremis verbis nonnulla addenda videantur: quae ut pro oxymoro quodam accipiam, Orelli auctoritate vix adducer. Nam simile exemplum tam durum tamque ambiguum, ut tua (sc. severitas) idem valeat atque tua lenitas, extat nullum. Quod autem Hermannus[1]) ad tuendum hunc locum attulit, ex praeiudicata opinione tamquam ex impuro fonte effluxisse videtur. Laudat enim Thucydideum illud: (II c. 40, 1 „*τὸ πένεσθαι οὐχ ὁμολογεῖν τινι αἰσχρόν, ἀλλὰ μὴ διαφεύγειν ἔργῳ αἴσχιον*“, ideo, opinor, ut certius accuratiusque „magis“ comparativi vim, quae valeat ad oxymoron illustrandum, definiat. At primum alius est Thucydidis usus loquendi, alius Ciceronis. Deinde qua ratione ille locus ei de quo agimus lucem adferre possit, ego fateor me non intellegere. Sed restat gravius argumentum. Et in hac et in multis aliis epistulis auctor maximam operam dat clementiae Bruti laudandae et celebrandae.[1]) Quid vero? nonne luce clarius est tali oxymoro probato magis obscuratam quam illustratam illam videri? Quare cum Wesenbergio (p. 144) „*clementia*“ vox in verba scriptoris adsumenda est, quae propter quandam subsequentium litterarum similitudinem facile omitti potuit. Simillimus autem locus extat Ep. ad Q. fratr. I 1, 4, 13, quem quod nemodum attulit, valde miror. Legimus enim hic: „Sit lictor non suae, sed tuae lenitatis apparitor“, quae sine dubio sic sunt sananda, ut ante „suae“ „saevitiae“ codicis auctoritate posthabita intercaletur.

Eiusd. ep. 5 „*salutaris severitas vincit inanem speciem clementiae*“. Ad hunc locum quamquam iam dudum adnotatum est a viris doctis Ammiani Marcellini illud (XXIX 5, 24): „Agebat autem haec Tullianum illud advertens, quod salutaris *rigor* vincit inanem speciem clementiae“, tamen ne recentiores quidem editores ab animis impetrare potuerunt, ut „rigor“ vocem in ordinem verborum reciperent. Mea sententia perspicuum videtur esse librarium quendam „rigor“ substantivum cum in libro suo invenisset, adscripsisse „severitas“, ut severitatis quae inest in rigoris verbo notionem, clarius explanaret. Olim igitur equidem suspicatus sum „*salutaris severitatis rigor*“, quod sane placere potest propter maiorem membrorum aequabilitatem. Nunc vero fateor mihi simplicem Ammiani Marcellini lectionem maxime probari. Eyssenhardtus quidem in nova huius scriptoris editione maiore p. 450 — minor editio nunc non ad manum est — *rigoris* loco posuit „*vigor*“, quae tamen vox quid in hoc enuntiato sibi velit, intellegi nequit.

---

[1]) Vind. Lat. p. 40 — 41; cf. Epim. Vind. p. 17, adn. 28.

[1]) Ep. I 4, 2, 3; Ep. I 15, 10; Ep. II 7, 5.

Eiusd. ep. 5 „*quod scribis me maximo otio egisse, ut insectarer Antonios, idque laudas, credo ita videri tibi*".

Inest in his verbis mendum facile quidem detectu, sed difficile sanatu. „*Otio*" enim non scripsit auctor omnesque qui hoc interpretando tueri conati sunt, in cassum laborarunt. Nam tam novum atque ineptum est, ut non dicam Ciceroni, sed ne declamatori quidem, qui prospero eventu has epistulas commentus est, ullo pacto attribuas. Otium enim aut idem est, quod nostrum „Ruhe, Friede", quemadmodum legitur in Ep. I 15, 4, aut id significat, quod optime intellegitur ex arguto illo dicto Scipionis Africani: (de off. III, 1) „numquam se minus otiosum esse quam cum otiosus nec minus solum quam cum solus esset", h. e. „Freiheit von den Staatsgeschäften" sive „wissenschaftliche Musse". Neutram autem significationem in hunc locum quadrare facile est ad cognoscendum. Haec erat causa, cur Manutius scribendum proponeret „maximo animo", quae tamen coniectura et nimis discedit a litterarum ductibus et sensus levitate et mediocritate nihil habet, quo commendetur. Lambini autem inventum, ut scribendum sit „*maximo odio*", belle quidem excogitatum est, sed tamen probare nequeo. Valde enim dubito, idem Brutus, qui mira usus sit in Antonios clementia, num Ciceroni laudem tribuerit maximo odio eosdem Antonios persequenti. Hoc parum congruit cum Bruti natura ac moribus. Quam inconvenientiam defugeremus, si legeremus „*maximo odio* i d *egisse, ut insectarere Antonios*". Mirabitur fortasse quispiam me posuisse „*id egisse*": sed tenendum est, ut iam recte Zumptius[1]) animadvertit, agendi verbum numquam a Cicerone sic nude adhibitum esse, ut idem valeret atque curare, vel consilium habere, sed semper „id" pronomen addi. Quod autem Hermannus[2]) tamquam simile attulit exemplum ex Ep. ad Q. fratr. I 3, 6 „quae si queri velim praeterita, nihil agam, nisi ut augeam dolorem tuum", pro nullo habendum est: nam hoc loco „nihil nisi" idem significare atque „id unum" ne tironem quidem fugere potest.

Ep. I 3, 2 Cum vulgo scriberetur: „*Ea* (sc. multitudine) *cum usque in Capitolium deductus maximo clamore atque plausu in Rostris collocatus sum*", Baiterus marginis Cratandrinae auctoritatem secutus pro „*ea cum*" „*a qua*" reposuit: recte si quid video. Nam hac scriptura omnes difficultates removentur et plana fit structura atque expedita. Quoniam autem extat testimonium antiqui libri satis probatum, non est, cur doctorum virorum coniecturas ad hunc locum prolatas singillatim refellamus: opinationum enim tantummodo nomine dignae sunt. Unum tamen addam non magni quidem momenti, sed fortasse non prorsus silentio praetermittendum. Hermannus[1]) enim vulgaris lectionis simile exemplum invenisse sibi visus est in Ep. ad Att. I 16, 5 „eadem frequentia postridie convenit, quacum abiens consulatu sum domum reductus"; at non vidit vir doctissimus hoc loco „cum" praepositionem non cum „reducendi" verbo, sed cum „abeundi" esse copulandam, quippe quod propriam significationem nunquam deposuerit.

Ep. I 4, 3 „*nunc, Cicero, nunc agendum est, ne frustra oppressum esse Antonium gavisi simus neu semper primi cuiusque mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur illo peius*". Hic locus licet varias virorum doctorum curas expertus sit, etiam nunc vitio foedissimo inquinatus est. Merito quidem omnes codicis auctoritatem in his spreverunt „*nunc agendum est*", nam agendi verbum sic nude positum eodem sensu atque curare, ut iam supra dixi, plane ab ea quam Cicero fovit consuetudine dicendi abhorret. Immerito autem „id" vel „hoc agendum est" in orationem adsumpserunt. Si enim sequentia paullo accuratius spectamus, vix dubium esse potest, quin hac coniectura admissa pro coniunctivo perfecti „gavisi simus" efflagitetur coniunctivus praesentis „gaudeamus". Quid plura? Scribendum est „*nunc, Cicero, nunc* c a v e n d u m *est, ne e. s.*, quod quam aptum sit et ad structuram et ad sensum superioribus atque insequentibus expressum, pluribus exponerem, nisi apud quos haec oratio fieret, meminissem. Qui autem autumat agendi verbum hoc loco absolute esse positum, is velim praegressa consideret, ut intellegat talem interpretationem ab huius loci sensu plane abhorrere. De altero huius enuntiati membro iam supra verba feci.

Eiusd. ep. 5 „*alienae igitur*", *inquies*, „*culpae me reum subicies*"? *prorsus alienae, si provideri non potuit ne existeret*".

In his valde miror, quod nemo ante Baiterum Medicei codicis auctoritatem ita tuitus sit, ut „*non*"

[1]) p. 15.
[2]) Vind. Epim. p. 21.

[1]) Vind. Epim. p. 21.

ex ordine verborum removeret. Dicit scriptor, ut vernacule dilatem aliquantulum et explicem, quae ille coartavit: „Du wirst sagen: Du machst mich für eine fremde Sünde verantwortlich. Gewiss: wenn Du verhüten konntest, (und das konntest Du — haec ex superioribus verbis extricari licet) dass sie begangen wurde". In his ego fateor me quod offendat nihil invenire posse. Quod autem Kayserus sibi persuasit „*alienae*" altero loco positum librario deberi, ego ambigo: posse hoc ita esse est confitendum, esse debere negandum.

Ep. I 9, 1 Cum vulgo scriberetur: „*Fungerer officio, quo tu functus es in meo luctu, teque per litteras consolarer, nisi scirem iis remediis, quibus meum dolorem tu levasses, te in tuo non egere ac velim facilius quam mihi, nunc tibi tute medeare*", Baiterus pro „*iis remediis*" „*in remediis*" ordini verborum intulit, quod casu magis quam consulto vel potius typothetae errore factum esse arbitror, quandoquidem neminem, qui vel mediocriter attendat, de pronominis necessitate dubitare posse confido. Tota autem vulgaris lectio per se spectata nihil offensionis habet, tamen codicis Medicei scripturam intuenti vix genuina videri potest. Praebet enim hic: „*te non egere ac velim facilius, quam in tuo michi*", ad quae proxime accedemus, si scripserimus „*nisi scirem iis remediis, quibus meum dolorem tu levasti, te non egere ac velim facilius quam tunc mihi, nunc tibi tute medeare*". Vides me „*levasses*" in „*levasti*" mutasse: recte nisi egregie fallor. Nam cum antecedat indicativus constetque ex sequentibus Brutum Ciceronis dolorem ob Tulliae mortem perceptum re vera levasse, nostro iure coniunctivum respuendum esse putamus, quippe quo nimis dubia fiat oratio atque ambigua. Mutationem autem hanc ut ex coniunctivo indicativus fiat, non reformidabit qui in nullo genere frequentius a librariis peccatum esse recordetur.[1])

Ep. I 10, 4 „*Quamobrem advola, obsecro, atque eam rempublicam, quam virtute atque animi magnitudine magis quam eventis rerum liberavisti, exitu libera*".

In hac vulgata lectione quod omnes uno excepto editores acquiescendum putaverunt, non adsentimur, cum apud nos vera ratio plus valeat quam librorum auctoritas. An tu censes „*exitus*" verbum hoc loco tolerari posse? quod me iudice tam insolenter positum est[1]), ut non modo a Ciceronis, verum etiam ab ipsius scriptoris usu dicendi — quod maiorem habet vim ac pondus — plane recedat.[2]) Unum Kayserum in hac voce offendisse memini: medela autem quam adhibuit, ut „*felici exitu*" scribi iuberet, propter corrigendi audaciam veri caret similitudine. Exploratum si esset adiectivum excidisse, ego conicerem auctorem scripsisse „*exitu exitiali libera*" secundum illud Ciceronianum: „Perditae civitates desperatis omnibus rebus hos solent exitus exitiales habere" (in Verr. II 5, 6). Sed persuasum habeo in ipso exitus verbo vitium inesse, quod sic sustulisse olim mihi videbar, ut pro „*exitu*" „*exitio*" legendum proponerem. Quamquam — valde arridet mihi Studemundi coniectura ante hos quattuor annos domi suae mecum communicata „*exercitu*" vocem pro illa corrupta orationi inserentis. In Bruto enim et exercitu eius omnem spem tunc positam fuisse epistulae multis locis docent.[3])

Fortasse quispiam dixerit ante „*exercitu*" „*cum*" praepositionem desiderari; sed vereor, ne is, cui hoc ita videatur, praegressa nimis obiter perlustraverit. His enim ablativus simplex — si non efflagitatur — at certe excusatur. Ceterum frequenter haec verba „*exitus*" et „*exercitus*" a librariis confundi Drakenborch docet ad Liv. V 27, 10 et XXII 13, 5.

Ac ne quis offendat in relativo quod antecedit enuntiato, Hermannus[4]) duobus locis ex Cicerone depromptis demonstrat (de Divin. I, 6 et pro Sest. c. 53) „*virtutem et magnitudinem animi*" tamquam

---

[1]) Hoc satis habeo uno exemplo demonstrare, quod extat in Ps. Cic. Ep. ad Octavium 4, ubi simili mendo in codice Erfurtensi, nunc Berolinensi pro „exstitisti" „exstitisses" invenitur. cf. Ed. Wunder: „Variae lectiones librorum aliquot M. T. Cic. ex codice Erfurtensi enotatae" p. 138.

[1]) Ac ne quis mihi forte tale exemplum opponat, quale est Cic. ad Att. XV 5, 5 „de Pompei exitu mihi nunquam dubium fuit" aliaque: tenendum est recte dici „exitus reipublicae", falso „exitu rempublicam libera".

[2]) cf. e. g. I 11, 2; 12, 1; 14, 2; 17, 5.

[3]) cf. e. g. I 9, 3; 12, 2; 14, 2; 15, 12; 18, 1.

[4]) Vind. Lat. p. 43.

voluntatem et causas, quibus Brutus ad agendum impulsus sit, *„eventis rerum“* recte opponi.[1])

Ep. I 12, 1 *„nullo enim modo poterat causa Lepidi distingui ab Antonio, omniumque iudicio etiam durior erat, quod, cum honoribus amplissimis a senatu esset Lepidus ornatus, tum etiam paucis ante diebus praeclaras litteras ad senatum misisset, repente non solum recepit reliquias hostium, sed bellum acerrime terra marique gerit.*

Primum de distinctione pauca dicenda sunt, quam Wesenbergius p. 145 l. l. ita mutandam esse censet, ut deleatur Komma post „quod“, inculcetur Kolon post „misisset“. „Adduntur, inquit, duae causae, cur Lepidi causa durior quam Antonii sit; deinde scriptor ad id, unde oratio digressa erat („id accidit M. L. sc. et amentia“), narrandum redit: „Repente . . gerit“. Fateor me nondum ab animo impetrasse, ut a vulgari distinctione desisterem. Neque enim adduci possum, ut credam aliis enuntiatis ab auctore causam duritiei Lepidi expressam esse quam eis, quae a voce „repente“ initium capiunt. Quae autem antecedunt a „cum“ (obwohl) et „tum“ (ferner) incohantia ut sunt concessive formata, hunc habent finem, ut necopinatam inconstantiam levitatemque Lepidi et demonstrent et paullo illustrius depingant. Igitur mea sententia a vulgaribus distinguendi notis non recedendum est.

De ablativo „Antonio“ iam supra dixi. Quod autem attinet ad ea, quae secuntur, ut statim dicam, quid fieri velim, — Lepidi nomen cum nimium quantum ordinem verborum turbet, ex orationis tenore eiciendum et adscribendum est interpreti cuidam. Neque minus mihi suspectum videtur Antoni nomen in his (Ep. I 16, 4): *„atqui non solum sub bono domino potuimus Antonio tolerare nostram fortunam“;* ipse locus, quem tenet nomen, mihi illustri interpretamenti documento est.

[1]) Haud abs re mihi videtur esse hoc loco Heraeum laudare ad Tac. Hist. III 46, 3 recte statuentem „eventus“ (Ereignisse, Begebenheiten) apud Ciceronem aut cum „rerum“ coniungi solere aut pro illis duobus verbis „eventa“ usurpari. Quae si ad locum supra tractatum rettulerimus, difficile erit ad dicendum, novatio auctori an librario adscribenda sit. Mutatio sane paene nulla esset, si pro „eventis“ „eventibus“ in orationem adsumeremus.

Addo etiam, quamvis cunctanter Ep. I 17, 6 *„nulla erit tam bona condicio serviendi, qua deterrear, quamvis sit vir bonus, ut scribis, Antonius“.*

Antoni nomen hoc loco ineptum esse nullus dubitavit, qui verba scriptoris paullo accuratius consideraverit. Incertum autem est, utrum cum Tunstallo pro Antoni nomine „Octavius“ reponendum an cum Wesenbergio „Antonius“ pro glossemate existimandum sit, quod alterum — ut dicam ex animo quod sentio — mihi magis probatur.

Quoniam autem interpolatorem iam semel saepius deprehendimus in his epistulis versatum, suspicio nobis subnata est etiam alium locum ex suo potius sensu quam ex auctoris manu sive consilio illum expressisse. Dico Ep. I 9, 1 *„Est enim alienum tanto viro quantus es tu, quod alteri praeceperit, id ipsum facere non posse“.*

Non nego sic hunc locum sine ulla offensione legi posse, tamen si codicum — illorum quidem qui nostro respectu digni sunt, discrepantiam intuebimur, nostro iure ambigemus, quid statuendum sit. Mediceus habet: *„ut es tu“*, ineptum, ut mihi quidem videtur, interpolatoris alicuius additamentum, quod ut ne contra leges latini sermonis pugnaret, ab eo, cui lectiones Cratandrinae editioni appositas debemus, in *„quantus es tu“* commutatum est. Nos vix a vero aberrare nobis videmur, si haec tria verba ex ordine verborum eicienda esse putamus.

Ep. I 12, 3 Cum vulgo scriberetur: *„Ciceronem meum propediem, ut spero, videbo; tecum enim illum et te in Italiam celeriter esse venturum confido“*, Tunstallus (Obsv. p. 382) verba *„et te“* hinc in Ep. I 14, 2 transferri voluit, quod quam ineptum insulsumque sit, res ipsa manifestum facit. Hermannus (Vind. Lat. p. 46, 104) ipsam codicis lectionem ita defendi posse autumat, ut Cicero duplicem spem et de filii adventu cum Bruto et de huius ipsius adventus celeritate coniunxisse videatur, quod quamquam argute et sagaciter excogitatum est, tamen ob hanc ipsam sagacitatem huic loco non convenire videtur. Porro Orellius — nam aliorum inventa nil moror — cum Manutio legendum esse proposuit *„tecum enim illum esse in Italiam venturum confido“*, quod sane placere posset, nisi alia via nobis sese offerret, qua patefacta nonnullos, ut speramus, ad nostras partes trahemus. Scriptum erat in archetypo: *„tecum enim illum in*

Italiam celeriter esse venturos confido", quod et facile demonstrat, qua ratione otiosum illud "*et te*" in verba irrepere potuerit et cum tota harum epistularum natura atque indole mirum in modum concinit.[1]) Nempe nova et singularia auctor adsciscebat neque quicquam praetermisit, quantum cura niti atque efficere poterat, quin varietatem doctrinae atque copiam ostentaret.

Ep. I 15, 3 "*quod si ita est, utriusque rei meum iudicium studeo tibi esse notissimum, neque solum ut Solonis dictum usurpem, qui et sapientissimus fuit ex septem et legum scriptor solus ex septem*".

In his aegrotare aliquid Medicei libri ipsius vestigia docent. Habet enim codicis M[1] "*sapientissimus*", M[2] "*sapiens unus*", quod alterum plane immerito omnes editores repudiaverunt, si quidem Hofmannus recte iudicavit correcturas alterius manus si non anteponendas, at certe aequiperandas esse primae manui.[2]) Equidem vix vereor, ne coniectura aberraverim, si auctorem haec scripsisse suspicor: "*qui et unus sapientissimus fuit ex septem et legum scriptor solus* (altero "*ex septem*" deleto), quod quam apte et aequabiliter procedat, quis est qui hoc non sentiat? Et "unius" pronominis superlativo, ut excellentia augeatur, adiecti quam frequens apud Ciceronem usus sit, locorum quos Josephus Krauss[3]) collegit, copia satis superque testatur.

Hanc sententiam equidem iam ante hos quinque annos in sem. phil. Gryphiswaldensi protuli neque dubitarem etiamnunc aut hanc amplecti aut alteram tunc a me probatam "*qui et sapientissimus unus....*" secundum illud Vergilianum (Aen. II, 246) "cadit et Rhipheus iustissimus unus, qui fuit in Teucris" (cf. Lobeck ad Soph. Aiacem p. 393), nisi forte fortuna in Ciceronis locum incidissem (Laeli § 59): "a Biante, qui *sapiens* habitus esset *unus* e septem", qui locus quomodo ad hunc referendus sit, ad unum omnes semel moniti videbunt. Lego itaque: "*qui et sapiens unus fuit ex septem*" e. s.

Ep. I 15, 6 "*Longa sunt quae restant, praetereunda; sunt enim de me*". Mendo quodam hunc locum laborare quamquam nemodum animadvertit, eo confidentius adseverare audeo, postquam Studemundus domi suae nonnulla mecum agens recte illud me et invenisse et sanasse iudicavit. Quod si relativum enuntiatum pro subiecto stat, cetera autem praedicato adscribi debent, quis tandem membra praedicati ista ratione contracta feret particula insuper addita nulla? Ne longus sim — aut "*praeterunda*" verbum eiciendum est tamquam explanatoris cuiusdam supplementum, aut "*et*" vocula ante "*praetereunda*" addenda est, quod alterum propter ea quae secuntur probabilius videri potest.

Haec ego olim apud sodales seminarii Gryphiswaldensis protuli: nunc eandem lectionem Wesenbergius quoque commendat. Dicit ille l. l. p. 145. "Post restanT addidi eT (= eoque sc. quia longa sunt): per asyndeton certe scribendum fuit: L, pr. s., q. r."

Idem mihi accidit in Ep. I 17, 2 "*ut iam ista quae facit dominationem an dominum an Antonium*

---

[1]) De hoc usu disserentem satis habeo unum Zumptium laudare qui in Gramm. lat. p. 328 haec habet: "Häufiger (als der Singular des Praedicats) ist jedoch der Plural, welcher durch die gedachte Mehrheit der Subjecte erklärt wird".

[2]) "Der kritische Apparat zu Cicero's Briefen an Atticus" p. 12—17.

[3]) "M. T. Cic. ep. emendationes" Lipsiae 1869 p. 29—30; Statuit Josephus Krauss ex Senecae loco hoc (Contr. lib. VII 3, 18 p. 326 Kiessl.): "illum versum, quo aiebat *unum* versum inveniri non posse *meliorem*" cogendum esse posteriorem aetatem etiam cum comparativo "unum" pronomem coniunxisse: quod improbandum esse puto. Nam verissime quidem pronomen superlativo adicitur, ut propriam superlativi vim augeat atque amplificet, qua ratione autem cum comparativo coire possit, prorsus nescio: ipsa comparativi sive notio sive natura huic coniunctioni plane repugnat. Quare Senecae locum vitio inquinatum esse censeo, quod fortasse haud inepte sic sustulerimus, ut leni mutatione pro "*unum*" "*ullum*" scribamus. — Incitat me Senecae nomen, ut etiam de alio controversiarum loco meam sententiam feram. Editur vulgo Exc. contr. lib III (p. 241, 15—16 Kiessl.) "omnia intenta, *aliquo* petentia", quod sic ferri non posse fere omnes interpretes intellexerunt. Kiesslingius proposuit quamvis dubitanter "*aliquo*" commutandum esse in "*aliquid*", quod si constructionem solam intuemur, sane placere potest. Similem viam M. Sander in diss. inaug. "quaestiones in Senecam rhetorem syntacticae" p. 13 ingressus est, cum tentaret: "omnia intenta aliquo, aliquid petentia". Sed patietur sine dubio amicus me a sagaci sua coniectura recedentem scribere "omnia intenta, aliquo *pertinentia*" ("Alles mit Pointe, Alles mit Bezug").

timentis sint". Haec quae vulgo legebantur verba Ernestius ita mutare necesse duxit „... *non dominationem, sed dominum Antonium timentis sint*", quod quamquam ex codice deterioris vel potius nullius pretii manavit ob hancque causam nullam habet vim ad epistulam recte emendandam, tamen indicare videtur, qua ratione medela loco de quo agimus adferri possit. Patet enim dominationem i. e. rem domino i. e. personae opponi cumque Antonius is esset, quem timebat Cicero ut dominum, quid exploratius esse potest quam „*an*" particulam altero loco positam ex ordine verborum removendum esse. Sed ne haec quidem sufficiunt: ingeniose Studemundus iudicavit etiam „*Antonium*" tamquam otiosum additamentum eiciendum esse, quem sua sponte quisque sequetur, qui non balbutire, sed acute aliquo modo dicere auctorem sibi persuaserit. — Paene eodem modo nunc de hoc loco egit Wesenbergius l. l. p. 146. „*An*" particula autem similiter posita est in Ep. ad Att. XI 6, 7 et in Brut. 23, 89. Valde autem memorabile est duobus his locis, quos ego citavi, „*an*" dupliciter librarios scripsisse, scilicet qua inscitia erant huius particulae usus prorsus ignari.

Ep. I 16, 2 „*vindici quidem alienae dominationis, non vicario, ecquis supplicat, ut optime meritis de republica liceat esse salvis*"?

De hoc loco quamquam multum cogitavi, tamen certam sententiam ferre non audeo; valde enim ambigo, utrum codicis scriptura defendi debeat aut omnino possit an ad coniecturam sit confugiendum.[1]) Traditam lectionem si intuebimur, hoc fere extorqueri poterit: „non Octavius est rogandus, ut nos velit salvos esse, quia vindex est alienae dominationis: atque vindici non supplices esse solemus, sed vicario". Hoc tamen aliquo modo me male habet, cum praesertim Bruto non vindex Octavius esse videretur, sed vicarius Caesarianae dominationis. Quare equidem suaserim, ut scribamus „*vindici quidem alienae dominationis, an vicario ecquis supplicat e. s.*"; quod si omnino emendatio necessaria, sane aptum efficeret sensum. Nam „*an*" in eiusmodi enuntiatis sic usurpatur, ut orationi declarative incipienti adiciat aliquid vel re vera dubium vel consulto in dubio relictum „oder vielleicht" sive „oder vielmehr".[1]) cf. locum modo tractatum.

1) cf. Hermannum: Vind. Lat. p. 25.

Ep. I 17, 5 „*Licet ergo patrem appellet Octavius Ciceronem, referat omnia, laudet, gratias agat, tamen illud apparebit verba rebus esse contraria*".

Sic omnes editores hunc locum reddunt, non quo arbitrati sint hanc esse veram et genuinam lectionem, sed quia nihil invenisse videntur, quod ulla ratione probare possent. Quod autem Orellius proposuit, ut pro „*referat*" legeretur „*deferat*", ad speciem verum videri potest, reapse autem falsum est et respuendum: nam deferendi verbum hoc loco non minus ineptum est quam referendi. Cf. de propria horum verborum significatione Hofmannum ad Ep. IV, p. 34. Igitur adhuc sub iudice lis est. Sed priusquam hanc discernamus, ille locus respiciendus erit, quem legimus sub finem huius paragraphi: „*Quid enim nostra victum esse Antonium, si victus est, ut alii vacaret, quod ille obtinuit*"?

Non nescius sum, quid auctor dicere voluerit, sed quomodo hoc ex verbis extricari possit, illud fateor me nescire. Numquam enim scriptores Latini sermonis scientes haec „*quid enim nostra*" — ut Wesenbergius quoque sensit[2]) — ita pronuntiarunt, ut idem esset atque „*quid enim ad nos*", sed semper „*interest*" vel „*refert*" addiderunt. Quid multa? non enim temeritatis crimen vereor, si cum Buechelero contendam remotius illud „*referendi*" verbum huc transferri debere ut ex margine falsum in locum irreptum. Hac coniectura probata etiam alter ille locus sine ulla offensione legi potest.

Ep. I 18, 3 „*haec (sc. pecunia) solvi potest et est rei familiaris iactura tolerabilis; reipublicae quod spoponderis* (sc. animo et sententia pro altero) *quemadmodum solvas, nisi is dependi facile patitur, pro quo spoponderis*"?

Hanc esse ipsam scriptoris manum quominus statuam, me codicis Medicei auctoritas impedit. Tenet enim hic: „*si is dependi facile patitur*", quod unum esse omnium aptissimum et verissimum, dum-

1) cf. Madwig de Fin. II 32, 104; Handi Turs. I p. 300; Boot Cic. ep. ad Att. I 3, 2.

2) Wesenbergius p. 146 „excidit (sc. post nosTRa) refeRT aut inteResT, quod audiri vix potuit".

modo recte totius loci sensum animo percipiamus, ego contra omnes interpretes firmissime adsevero. Primum enim facile est ad cognoscendum auctorem eisdem verbis, quae adhibuerit ad pecuniae sponsionem illustrandam, etiam usum esse ad animi obligationem adumbrandam: unde imago fit obscura et difficilior explicatu. Deinde vero ad „*dependi*“ verbum „*a te*“ cogitatione subaudiendum est, ut hic fere sensus efficiatur: „wenn der leicht duldet, dass von dir gezahlt wird h. e. wenn der sich gleichgültig verhält und Dich im Stich lässt“. Sic „*facile pati*“ — in quo omnes haeserunt[1]) — optime positum esse omninoque omnia rectissime sese habere nemo, spero, infitiabitur.

Finem huius libelli faciat eiusd. ep. 4 „*videtur enim esse indoles, sed flexibilis aetas*“.

Probe scio quid Servius ad Aen. X, 826 de indolis voce adnotaverit: „Indoles est proprie imago quaedam virtutis futurae“, tamen hoc ad locum modo prolatum referre propterea dubito, quia simile exemplum talis breviloquentiae extat nullum. Hermannus quidem tamquam similia attulit[2]) (Quintil. XII 6, 3): „si qua sunt dicta iuveniliter, pro indole accipiuntur“ et (Cic. in Verr. III, 68): „fac enim fuisse in eo M. Catonis materiam et indolem“; at non vidit vir doctus ex antecedentibus id supplendum esse, quo certis finibus circumscribatur indolis notio.

Sed iam audio eos qui accuratius in Ciceronis epistularum lectione versati sunt adferentes Ep. ad Att. X 12, 7 „est enim indoles“, quem locum mihi olim aliquid scrupuli iniecisse libere fateor. Discernere enim non audebam, utrum ad illum potissimum auctor Brutinarum epistularum eum de quo agimus locum expresserit, id quod eum alias fecisse supra ostendi, an librarii hanc quasi Laconicam breviloquentiam orationi obtruserint. Haesito igitur nunc? Minime vero. Neque enim ille locus, quem ut testem quendam modo citavimus, adeo est purus, ut singularis fides ei adiungenda sit: immo Mediceus pro „indoles“ praebet „indolens“, ex quo Wesenbergius non sine magna probabilitatis specie eruit „indoles excellens“. Quid multum? Cum Wesenbergio aliisque coniectura loco de quo agitur suppetias ferendas esse censeo, quam non prorsus ineptam mihi invenisse videor hanc: „*videtur enim bona adulescens indole*“.

Hunc finem impono disputationi meae: ex qua cum permultum et voluptatis et fructus mihi ipsi effloruerit, ad litteras etiam aliquid redundare valde cupio: hoc autem num consecutus sim, equidem non discerno, sed peritioribus do diiudicandum.

Dabam a. d. X K. Febr.

---

[1]) cf. Zumptium p. 17 et Hermannum Vind. Lat. p. 45 „facile pati“ occurrit eadem significatione abhibitum I 16, 4 „vel ita demisse ac facile pati“.

[2]) Epim. Vind. p. 21—22.



Lc 40.127
De Ciceronis quae feruntur ad Brutu
Widener Library 004008341
3 2044 085 194 330